



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Secvndae Partis Praxis Modi Operandi Svpernatvraliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

114

SECUNDÆ PARTIS

PRAXIS

MODI OPERANDI

SUPERNATURALITER.

AD MYSTICOS
 DIVINO ANIMO PRÆSTANTES
 PROLOQVIUM.

DE [dilectione loqui dulcè semper, ^a & iucundum est; experiri verò eam, atque sentire, multò suavius] cuius quidem experientiæ causa, totius nostræ deductionis labor infumitur. sed obsecro quem docebit Dominus scientiam, ^b & quem intelligere faciet auditum? nonne ab lactatum à lacte, auulsum ab vberibus? & ad puras, ac solidas spiritus operationes, dispositos? vndè etiam iure meritò, diuino animo præstantes duntaxat mysticos, in omnibus, & singulis, quæ tota parte hac secunda continentur, alloquimur; tanquam qui status incipientium, & proficientium, fideli exercitatione, absoluerint, & diuino impulsu, ad perfectiora, & cœlestibus coniunctionibus viciniora, extendantur. frustra namque in his, aut legendis, aut practicandis, leuabit se supra se, qui gratia supernaturalis modi operandi, à Deo dignatus non fuerit.

Quod licet per se apud intelligentes, verum esse constet; nullo tamen consilij, vel admonitionis præsidio vnquam caueri potuit; quin vnusquisque iuxta bonæ, malæuè conditionis suæ arbitrium dijudicet; quod solis bonis, & illius negotij capacibus,

P 2

ad

ad legendum expositum est. legunt ergò ambitionis vitio scioli, ne diuina quæque, etiam profundissima; aut non intelligere, aut (quod reputationi suæ magis aduersari credunt) non præticare videantur: & vt vtrumque ad propriæ elationis pruritum magis, quam ad veritatem adstruant, magnificis subtilitatibus quæque caillant; magis autem, vt tanquam bruta animalia, quæ quidem ignorant, blasphement, quæ autem norunt in his corumpantur. Legunt verò in diuino amore iam exercitati, vt penitus magis, & intimiori perfectione iustificentur, & sanctificentur adhuc: quod quidem omnium nostrum, in schola arcani amoris studentium, est intentum, ac finis.

[Da ergò amantem, & sentit quod dico; da desiderantem, da feruentem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam] ea enim vel maximè de causa; in frontispicio huius summæ, figuratum est cor ardens, & flammæ diuini amoris vnde quaque exhalans, atque ex imo centri, & fundi, ignem, & vaporem furni, in diuinæ essentiæ spheram, eiactulans: quodque diuinis illustrationibus, & caloribus reciprocè fouetur; ne cum incipientium, aut etiam proficientium nonnullis, ab arcta via amicitie cœlestis quandoque deficiat.

Vobis itaque amantissimis Domini, quique in cœlis conuersationem vestram collocatis, totum, quantumcunque exile sit, quod præstare potuimus; debetur, offertur, dedicatur, ac consecratur. vt autem in diuinis, fruitionibus perseuerantem statum, & æternum, diuina benignitas nobis largiatur; median-

tibus

a S. Aug. tract. 26. in Ioh.

tibus vestris orationibus; (quibus & multum tribuimus, & di-
 uino animo præstantes summè valetis) humillimè, & ex imo
 cordis deprecamur, ac simul amicè rogamus, vt mutua confe-
 rentia, alia quidem à vobismetipsis [alia a ab alijs excogitata,
 omnia autem à bonitate accepta; ad nos etiam mittere, & in
 amicum beneficia conferre, non pigeat. nos enim etiam ratio-
 nem nullam earum, quæ nobis de (Mysticis) traditæ sunt, in-
 tra priuatos parietes continuimus; sed vobiscum communica-
 mus quatenus, & nos dicere potuimus, & illi, quibus dicitur au-
 dire, denique [in Epithalamio b hoc non verba pensanda sunt,
 sed affectus. Cur ita? nisi quod Amor Sanctus, quem totius
 huius voluminis vnã constat esse materiam, non
 verbo sit æstimandus, aut lingua; sed
 opere & veritate.]

a S. Dion. de diu. nom. cap. vlt. b S. Bern. de Cant. Cant.



P R A X I S
MODI SUPERNATURALISQVIS ORDO ET QUÆ CONDITIO
IN GENERE.

P A R A P H R A S I S P R I M A.

INTELLIGENTIA *a est opus in visione*. ac si diceret, ad plenam, & perfectam notitiam rei alicuius, præsertim ob sui præstantiam absconditæ, non est satis illam taliter, qualiter vidisse: sed articulata, certa, ac sublimi aliqua notitia opus est, priusquam aliquis sciat, quæ à Deo sibi donata sunt. ad hoc autem cum nil ita conducatur, sicut ordinata, consecutiua, & dilucida descriptionis breuitas; ideo hoc loco, practicū in genere instruere voluimus, quo ita securè intelligat, penetretq; illa, quæ in visione, ceu in inuolucro apparere, & vniuersaliter ad praxin omnium statuum Secundæ partis referri solent. idque non tantum, vt ex frequenti repetitione fastidium caueatur; sed etiam, vt in praxi simplices piæ animæ non perturbentur, neuè mens ipsarum sic intricetur, vt vix intelligere valeant, quod legunt; at potius, ceu in speculo, sua interiora dijudicent. vndè hic dicitur.

- I. Quo ordine, stylo, & modo praxis sit tradita.
- II. Continuo maior radicatio in charitate, per omnes status, & exercitium actus, aliam atque aliam, conformem tamen, requirit operationem.
- III. Quod propter varia accidentia huius vite, mysticus quandoque deficiat ab intellectu ordinis practici, & eius executione.
- IV. Quis sit modus inueniendi proprium statum mysticum.
- V. De modo vtiliter legendi praxin, ad prosecutionem status proprii.
- VI. Familiaria colloquia de mysticis in praxi efficacius illuminare, quam ea que scripto traduntur.
- VII. Quæ sit differentia inter mysticos fundos, dimensiones sphaeras, Regiones, vbi, situ mentales, operationes, seu verba, ac status.
- VIII. Breuis deductio eorum, quæ eueniunt in praxi per omnes status secundæ Partis.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo Ordine, stylo, & modo, praxis sit tradita.

Quia a Deo sunt, à ordinata sunt. ac si diceret, ô pia anima, quod si humana cohabitatio in hoc mundo pacificè possideri non potest; nisi omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta sit, & illarum prouidentia gubernetur; quantò magis hoc ipsum fieri debet in ijs, quæ ad Dei amicitiam continuandam, (in qua vel maximè spiritualia, seu mystica eminent) ordinatè profunt? & idèò sollicitè rogat pia anima sibi indicari, vbi Deus optimus pascat, & cubet in meridie; huius scilicet miserimæ vitæ: quæ in ijs, quæ ad Deum sunt, cæcitate, & rectè agendi debilitate percussa, languet, facillimè aberrat, ac vagari incipit post greges sodalium suorum, scilicet tam internorum, quam externorum sensuum, & omnium potentiarum; ita vt, dum susque, deque insequitur illum, quem diligit anima eius, frequenter tamen ipsum non inueniat: illa potissimum de causa, quod non satis ordinatè sciat separare vile à pretioso, & immundum à mundo. & certè, nihil nos ad summam hanc practicam scribendam vsque a deo induxit, quam confusus ille, & passim in praxi obuius modus in interioribus operandi, ad omne id, quod vel aliquam sensibilem deuotionem videtur olere: quem etiam

defectum in viris mysticæ vitæ cum primis deditis, ac etiam spiritualibus magistris, oculis nostris perspeximus; ita vt ipsimet suum proprium statum ignorarent, sileo, quod scirent, quo ordine fruitio mystica, aut incipienda, aut rectè, secureque, ac integra realitate continuanda foret, aut ordinate, de statu in statum, pro vt incipit, proficit, & perficitur, transeundum sit.

Quapropter non scientificum, sed practicum ordinem insequendo, singula eo loco ponuntur, in quo mysticus de præsentis dispositus est praticare hoc ipsum quod legerit, & suo statui conueniens fuerit. quod vt facilius euadat, breuiter hic in memoriam reuocamus; practicum ordinem, tam supra b quam infra, c diuidi in modum naturaliter, & modum supernaturaliter operandi. & quidem modum naturalem esse, qui cum rationis discursu, & vsu imaginationis, sua interiora perficit; ac incipientibus, ac proficientibus per exercitia meditationis, adspirationis, & contemplationis ordinarius est. Modum verò supernaturalem esse, qui simplici intelligentia, & absque phantasmatum vsu procedit, & hoc ipsum per dona intellectus, vel sapientiæ, habitualiter præstat. & quidem duplex hæc mentis cum Deo refectio, significata videtur per duplicem Elæ (viri familiaris Diuinæ assueti) confortationem. primò enim! cum Angelico cibo, d & potu

a Rom. 13. b 1. Par. decis. 1. a. 3. c 2. Par. decis. 1. a. 1. d 1. Reg. 19.

potu nutritus fuisset, non procul profectus est; vnde etiam incipientes, & proficientes pro ordinario exercitio, extra modum naturaliter operandi non progrediuntur. Secundo verò, cum similiter comedisset, & bibisset, confortatus grandem viam vsque ad montem Dei Horeb confecit: & id eo dein perfecti per laboriosam viam, priuationis incedunt; dein montem Itatus vnionis ascendunt, & tandem in Itatu Transformationis, familiaribus diuinis colloquijs dignantur, simplici intelligentia, atque Angelis conformi modo. Et licet illiterati, simpliciores sue, hunc ordinem non tam cito obseruare valeant; temporis tamen successu, cum progressum fecerint, ex reali, & vitali praxi, sua interiora ordinatè diiudicabunt, & sibi euenisse gaudebunt, quod illi, qui cœlorum motus, & Astronomicas obseruationes primò quidem nesciuit; vnde etiam stellas, & planetas, non cum ordine, sed in confuso quodam intuitu aspiciebat: postmodum de omnibus instructus, ordinatè nominibus suis omnes vocat; quæ in cœli machina diiudicare licuerit.

In statibus ergò primæ partis, cum tot dubia, & scitu necessaria non occurrant, & interea, dum illi practican- tur, incertus sit profectus, ac transitus ad hosce supernaturales status; modica synopsi paraphrastica praxin tradere consultius visum fuit: At in præsentiarum, eò quod ampliores occur-

rant difficultates, & status sublimiores, profusiori quoque deductione paraphrastica, ceu stylo plano, & ad realem praxim intelligentiam, pro illiteratis, & rudioribus accommodatissimo; ac etiam pro vt operationis conditio, intensio, & remissio in Nunc presenti expetere videtur, dicendum est. quod ita omnes querimonia, dubia, operationes, solatia, ariditates, & notabilia quæ in interioribus exercitijs contingere solent, clarè proponantur, mysticique modi, & industria practica suggerantur. ac pientiores illiterati interiora sua dilucidius intelligere, faciliusue practicare valeant. cuius rei gratia primò dicitur *b* summarè, quid fiat in praxi per omnes status mysticos, qui in hac secunda parte tractantur: dein in omni paraphrasi quolibet articulo primo, breuiter dicitur id, quod in toto statu, dein, quod in eius infimo, medio, vel summo, aut contra euenire solet. in quibus omnibus, cum grandis nobis sit sermo, & interpretabilis ad dicendum, cuiuslibet articulo sententiam aliquam Sacræ Scripturæ præponimus; quo saltem hoc modo, declaratio sermonum tuorum Domine illuminet, & intellectum det paruulis. nolumus enim in visionibus Angelorum, quam non vidimus, ambulare, aut de perfectione spirituali, prout secundum speculationem scientificam considerari potest, procedere; sed potius simplicioribus, & secundum iudi-

iudicium Sancti Hierothei ^a ad vitam mysticam magis aptis, quam doctis, & scientiæ sublimitate in intellectu summè intricatis: prudentiam eloquij mystici (pro vt Deo miserante datum fuerit) exponere; nec mihi soli laborare. & hoc ipsum duplici modo; primò quidem per simplicem narrationem paraphrasticam, seu ad propositam sententiam Sacre Scripturæ conlocutionem; quo ita tam docti, quam illiterati, ad praxin peraccommoda facilitate deducantur, & quilibet, quæ ad arcani amoris progressum contulerint, pro sua capacitate sat clarè intelligat. & hoc vt digne præstetur, necesse non est, vt omnes æqualiter ingenio, aut scientia polleant, sed satis est, vt quilibet, ita circa illa quæ legerit, versetur, vt sufficienter, intelligat, quid in praxi agendum sit. quo in genere simpliciores sæpè maximè doctos excedunt; pro vt etiam in patria, seu clara visione, quilibet ad suam plenitudinem, Deum quidem videt indoctus, tamen docto aliquando perfectiùs. Secundò verò per varias sententias mysticorum, quemlibet statum, & quæ ad eius notitiam faciunt, explicamus: quo ita, tam litterati, quam rudes, in occurrentibus tædijs, etiam ex sola lectione, robur, & consolationem spiritus eliciant. aliquando enim fit, vt vel vnicum verbum, quod statum proprium directè tangit, plus illuminet, afficiat, ac interiori dispositionem benè ordinet, quam omnis alia industria, aut oblon-

ga instructio. interea rogantes eximie litteratos viros, vt quæ hic simplici stylo ponuntur, in theoria latius per sententias probata requirant; quo ita tandem iudicium plenum formare valeant. iam verò dictis, quæ ad ordinem, stylum, & modum praxis pertinent, consequenter dicendum erit de charitate, pro vt in genere eius perfectio consideratur,

Continuò maior radicatio in charitate, per omnes status & exercitium actus, aliam atque aliam, conformem tamen, requirit operationem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ignis ^b nunquam dicit sufficit. ac si diceret, o pia anima, sicut ignis, quamdiu ei ligna subministrantur, absque cessatione, continuò sese extendit, & insatiabili appetitu omnia in sui naturam conuertit: ita quoque ignis spiritus Sancti; per amoris infatigabiles actiones, absque vlla limitatione, quamdiu in hac vita peregrinamur à Domino, sese protendit, dilatatque: non tamen confuso, sed maximè ordinato progressu. & idè, cum natura intellectus nostri sit, intelligere per conuersionem ad phantasmata, primo omnium in sua cum amore diuino operatione, à phantasmatis abstrahit, & cœlestes quasdam regiones, dimensiones latitudinis, longitudinis, sublimitatis, vel profunditatis, dein visus aliquos sursum, vel deorsum, antrorsum, vel retrorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, vbi, situsque

Q men-

^a Et sanctorum Dionys. Bonau. Tho. & passim omnium. ^b Prou. 3^o.

mentales substituit: quosque paræ intelligentiæ actionibus obtentis, illicò motibus circularibus, rectis, vel obliquis, amoris benevolentiam distribuat, & ad alimentum consortij diuinæ naturæ digerat, iucundè admodum. præsertim cū in statu Transformationis, gratia sanato animo, (ex habituali dono sapientiæ) sicut velle, ita etiam perficere adiaceat; ita vt in mysticis supremis actionibus, ita possit, sicut velle, nec plus velit, quam possit. de quibus, & similibus ordinatè per singula latius habetur infra per totum; hoc loco contenti, breuiter ad vniuersalem notitiam dixisse, quod maior radicatio in charitate, & perfectio progressus mystici, per omnes status, & exercitium actus, continuò aliam, atque aliam, (conformem tamen) requirat dispositionem, & operationem: licet in notabilioribus regionibus, quando ab infima ad mediam, aut à media ad supremam, ascenderit, vel descenderit, aut vicissitudinem notabilium operationum subierit; peregrina vtcunque hæc omnia videantur, in principio sicuti etiam contingit ad aliam domum migranti, aut nouam melodiam audienti; licet enim domus secunda pulchrior, & pretiosior; & cantio sequens longè suauior sit prima: attamen quousque prioris ex toto obliuiscatur, & præsentia assuescat, non nihil ingratum, ac insolitum videbitur, id quod perfectius est. ne quis verò speculationem in his sufficere credat, consequenter dicendum erit,

a Sap. 9.

Quod propter varia accidentia huius vitæ, mysticus quandoque deficiat ab intellectu ordinis practici & eius executione.

ARTICVLVS TERTIVS.

DEPRIMIT a terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, ac si diceret, o pia anima, qualicumque bono, quomodo-cunque priuet originale peccatum, seu actuale, eo ipso priuat modo, specie, & ordine; vt vel ideò tanta apud homines in rebus agendis reperitur ignorantia: maximè verò in operationibus vsque ad eò occultis, & internis, in quibus Deus posuit tenebras, latibulum suum; vt iure meritò dubius hæret, an sursum, an verò deorsum, sinistrorsum vel dextrorsum, procedendum sit, cum exindè eius internus visus, sicut oculus corporis facillimè, & à minimo puluere obscuretur, ne quidquam videat; iuxta illud Apostoli, quid oremus, nescimus, contingit enim illis, quod pueris inter se colludentibus, dum vnus illorum, velata facie ad circumstantis vocem, vel tactum, celeriter accurrit, sperans arripere, quem ibidem loquentem, tangentem perceperat, quamuis frustra; cum illicò, ad alium locum se se receperit, ita prorsus, stupendus Dei lusus est in pia anima, quando amoris quadam conuersione, desiderium illius allicit, & mox insequentem fugit, vt attrahat amplius; & si aliquando inuentum auide stringere voluerit, subitò, vt etiam hoc ipsum non aduertat, iterum abeat, ita vt nesciat quonam ierit: atque eius-
modi

modi vicissitudine, maiorem in omnibus cautelam, malarum inclinationum mortificationem, virtutum appetitum, & amoris perfectionem, paulatim inferat.

Cum etiam vnicuique seminetur proprium corpus, propter varia illius accidentia, scilicet naturæ melancholiam, tribulationem aliquam magnam, passionum inordinatarum vehementiam, mentis hebetudinem; ac etiam diuinam multimodam dispositionem, spiritusque depurationem, sæpè mysticus inordinatè turbatur, aut improporcionado modo in operationibus internis procedit: in tantum, vt facillimè, sicut ab intellectu ordinis practici; ita etiam ab eius executione deficiat. præsertim quod habeamus thesaurum in vasis fictilibus, & quamplurimis incommodis, tam corporis, quam animæ subiectum, ita vt vel idè inter sanctos eius nemo immutabilis sit. vnde etiam vsque ad statum Transformationis, frequens sit interruptio fruitionis mysticæ, ita vt piæ animæ, in toto suo habere, viuere, & operari, ex integro, ac iuxta intimum spiritus desiderium non sit satisfactum. Deus enim autor gratiæ, & donorum supernaturalium, in suis operationibus ordinatè, ad instar naturæ, à minus perfecto, ad magis perfectum ascendendo, deducit: & labentibus annis charitatem ordinat, dans gratiam secundum mensuram donationis Christi, & annos Pauli, qui cum esset paruulus, loquebatur vt paruulus;

cum autem factus esset vir, euacuauit ea, quo erant paruuli, & cum vidisset per speculum in ænigmate, tandem raptus in paradysum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Quapropter, si mysticus non procedat, eo quo traditur practico ordine, non est, quod tam remoram sui profectus admiretur, aut de nostra deductione, vacillantem animum concipiat; quam quod arcana cordis sui penitiùs inspiciat, ibidemque inuentas impedimentorum illaqueationes, dissoluat, pro virili conatu emendet; semperque ad anteriora se se extendat, si quo modo tandem aliquando comprehendat, in quo & comprehensus est, in Christo IESV Domino nostro. hæc autem vt faciliora euadant, consequenter dicendum erit,

Quis sit modus inueniendi proprium statum practicum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Altiora a te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. ac si diceret, ô pia anima, inordinato appetitui, quo etiam ad diuina fertur, ea solet inesse ambitio, vt supra fortem, statum, & conditionem, sibi proportionatam facillè efferatur; præsertim, quando inter æquales, alijs præstare, animus gliscit, vel (quod periculosum esse consuevit,) si vtrò se se ingerens, magistrum spiritualem

Q 2

se ip-

se ipsum quis constituat, eo pietatis velamine, naturæ libertatem, & commoda consecutus; præcipuè cum deuoto scæmineo sexu: tum enim altiora scrutari, & quærere, vt nociuum quid, caueri debet.

Qui verò ex toto corde per diuini amoris auxilia, naturæ vitia superare, & virtutis studia sectari contendit, is profecto diligenti cura quærere, & scrutari debet omnia, & singula, quæ proprium statum concernere videntur; quamuis illa sint, quæ vel de infimis, vel de perfectissimis statibus, & operationibus scripta leguntur. quod quidem vt vtiliter fiat, & morali certitudine mysticus quilibet statum suum proprium inueniat, illique in operationibus se rectè conformet; ab initio primæ partis omnia legat oportet, quo vsque ea inuenerit, quæ propriam interiorè dispositionem explicant, & depingunt: ita vt nec ex præcedentibus, nec ex sequentibus perlectis ita moueatur, sicut verbi gratia, ex ijs quæ in statu contemplationis affirmatiuæ habentur. tunc enim certum est signum, ipsum statum meditationis, & adspirationis excessisse; statum autem Priuationis nondum, multoquæ minus statum vnionis attigisse. nec idè talis lectio omittenda est, quod fortè iam à multis annis, vitæ mysticæ initia dederit, aut omnes status primæ, & nonnullos etiam secundæ partis, excefferit. nam diligens eiusmodi

lectio iudicium format, & non tantum vniversalem statuum notitiam, ordinem, & consecutionem; sed etiam conditiones occultas proprii status manifestat.

Ne autem altiora te quæseris; obseruandum erit; quinque substantiales, & magis notabiles esse status, seu modos, ^a vniformiter vt plurimum, in suo interiori operandi, per dies, annos, & tempora. primus est, quando per meditationem, aspirationem, & contemplationem modi affirmatiui, vel negatiui, in Deo intellectus illuminatur, vt voluntas inflammatur; & hic status comparatur statui, in quo fuerunt Apostoli *b* ante Passionem Christi: Subdiuiditur tamen hic status, in alios tres iuxta praxin quotidianam, qua alij in meditationis, alij in adspirationis, alij in contemplationis exercitijs, ac modis, totam vitam vt plurimum, expendunt: aliter nihilominus in singulorum statuum initio, aliter in medio, aliter in fine sese accommodando, vt maiori perfectioni semper locus detur; licet verbi gratia, in statu meditationis, totam vitam expenderent. Secundus est priuationis rigorosæ, quando anima in spiritu fortitudinis, capax est, vt omnibus posthabitis solatijs, & pijs deuotionibus, spoliatur. & hic status comparatur statui, in quo fuerunt Sancti Apostoli tempore passionis IESV Christi Domini nostri. Tertius est vnionis, quan-

^a Vt etiam inf. Dec. 1. n. 6. ^b Similia Taul. in Asc. Domini 5. 2.

quando paulatim animum refumit ab habita pressura, ad operationes purè spirituales, & quodammodo cum Apostolis in vnum congregatis, expectat, & expectando orat, spiritum proprium disponit, magnificat, subleuat, & superexaltat: qui quidem status assimilatur temporis, quod interfluxit à resurrectione Christi Domini, vsque ad ascensum eius in cælum. Quartus est, quando in summo status vnionis, post omnes proprii spiritus & subleuationes, tandem accedit subtilissima vacuitas, & simplicissima quædam capacitas, ad susceptionem gratiæ Transformationis per donum sapientiæ supernaturalis; & hic status similis est statui, in quo fuerunt Apostoli, quando iusti sunt in oratione & ieiunio expectare aduentum Spiritus Sancti Paracleti. Quintus est, quando vltima dispositione posita, donum sapientiæ supernaturalis à Deo infunditur, vt deinceps pia anima in amoris exercitio sic possit sicut vult, & sic eius posse, sicut eius velle adiaceat, totaque harmonia omnium potentiarum arridente, aliter in Deo non velit, quam possit: & hic felicissimus status assimilatur statui, in quo fuerunt Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum; qui etiam subindè apud eminentiores mysticos, ad gratias præstantiores, scilicet Ecstases, raptus, miracula, & alia huiusmodi, statui sanctorum *b* viatorum propria, eleuatur.

In quocunque ergò horum statuum,

ordinariè, realiter, & cum vitali operatione sese repererit, in eo etiam statum suum habebit, & magis secundum hunc, quam alios, aut præcedentes, aut subsequentes, operari poterit. Vnde etiam ea quæ scribuntur, in, & de alijs statibus, in præsentii ipsam piam animam non afficient, nec vitali gustu mouebunt, tanquam aut præterita, & sic nimis parua; aut tanquam à longè ventura, & possibilia; ad præsens tamen nimis remota. quia verò non sufficit proprium statum practicum inuenisse; consequenter dicendum erit,

De modo vtiliter legendi praxin, ad prosecutionem proprii status.

ARTICVLVS QVINTVS.

Nos non spiritum huius mundi accipimus: c sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. ac si diceret, ô pia anima, si quis ea, quæ ad amoris diuini amicitiam faciunt, consequi voluerit; is certè humili corde, & animo demisso accedere debet ad spiritum, qui ex Deo est, suadibilis, ac bonis consentiens; tum enim quæ in mysticis libris leguntur, intelligi solent, quo ita facilè, & subtiliter, (quamuis litteratus quis non fuerit) sciat abscondita illa, quæ à Deo donata sunt, & necessaria ad continuationem veræ, ac realis fruitionis amoris diuini. qui autem spiritum huius mundi accepit, & audaculo ingenij pruritu ad lectionem accedit, vt potè scientia inflatus, longè
Q₃
faciliùs

a Vt infra paraph. 8. a. 5. *b* Inf. Dec. 9. *c* 1. Cor. 2.

facilius inueniet, quod etiam ne quidem intelligens blasphemet; & in ijs quæ nouit, tanquam non satis eleganter dicta, & subtilitati suæ nimis grossa, corrumpatur; quam, vt vel æquo animo ferat, vtilitati simplicium, & singulari ratione Deum amantium prospectum esse.

Pia ergò anima, quæ sincero corde appetit scire ea, quæ à Deo sibi donata sunt, meminisse debet, quod cum ex natura intellectus nostri (cuius proprium obiectum est, quidditas in materia existens) de mysticis nil dici, multò minus scribi possit: quin aliqua dimensio, seu spherica similitudo, ceu phantasma, & sancta quædam imago adhibeatur; vel idè nos in praxi huius secundæ partis, in eo studium, & laborem collocasse; vt in lectione eorum, quæ ad statum proprium fecerint, in ipsa imaginatione, seu interno sensu resultent eiusmodi dimensionis diuinæ, aut sphericæ quædam similitudines; quarum intuitu intellectus agens illicò propriam speciem elicere possit, ad operationem, vel, quod idem est, ad verbum mysticum, in Nunc præsentem conuenienter formandum, iuxta operationes inferiùs *b* positas, quo etiam fidelem practicum remittimus, statim vt se ab habita pressura status priuationis expediuerit, & absolutis ijs, quæ in initio status vnionis tractantur, ad mediam regionem ascenderit. ibi enim incipit noua vita, & vitalis usus amicitie Dei; ita vt facilè operationes, seu verba

mystica, quæ ad contemplationis continuationem requiruntur, formare possit. quod vt vtiliter fiat, cum semel legisse, & vidisse, verè amanti non sufficiat, diligenter, & frequenter legat ea, quæ verbi gratia habentur in initio status priuationis, & dein secundum praxin, quæ per totam paraphrasin posita est, quamdiu circa initium versatur, se se exerceat; donec probabiliter inueniat, ad vltiora desiderium, progrediendi: ac tum legat ea, quæ per totam paraphrasin in medio habentur, vt conformiter ad praxin positam cooperetur; quousque nec in his sibi amplius satisfiat, ac tum demum ad ea, quæ in fine priuationis habentur, se conferat, & cooperari studeat; atque ita etiam, in alijs sequentibus statibus, eorumque initio, medio, & fine agendum erit.

Non tamen ea quæ scripto etiam ab expertissimis tradita sunt, ita religiosè, aut potiùs impertinenter legi debent, ac si in omni loco, & instructione, ex ipsa lectione vitalis species mystica resultare debeat, & appetentis desiderio satisfacere per delectationem, quæ prouenit ex bono realiter coniuncto. quæ enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per scripturarum modos, congruè assignatos; se se exercere, & disponere quis possit, ad species vitales consortij diuinæ nature eliciendas. & tales species non semper elici, non tam à doctrinæ præscriptæ defectu, quam à praxi ad Hic, & Nunc non

a Hic. n. 6. & inf. Dec. 4. n. 4. *b* Paraph. 6.

non propria accommodatione, maxima ex parte procedit: nisi forte (etiam quacunq; & propria doctrina, & sese accommodandi ratione adhibita) Deo per subtractionem actualis, & vitalis amicitiae, melius aliquid prouidente: id quod frequens est, quamdiu in statu transformationis, animum gratia sanatum, per donum sapientiae modi supernaturaliter agendi nondum affectus quis fuerit. pari modo ea quae scripsimus, non tam auida cupiditate legenda sunt, tanquam omnia dubia, quae ab vnoquoque excogitari possunt, ad amissim explicare debeant; hoc namque impossibile est. cum enim circa infinitum obiectum, scilicet Deum, versemur, & pia anima ex se ipsa, infiniti sit capax, quis infinita similia narrabit? vnde etiam, vel in ipso summæ titulo, solummodo notabiliores operationes, & vicissitudines promissimus, & mystica, melius familiari colloquio, quam scripto dilucidari, asseruimus. cui etiam accedit, non omnia posse in vno loco dici; sed pro vt spiritualis profectus accrescit, ampliora, & perfectiora adduci. ac etiam ea, quae in Theologia Mysto-scholastica habentur, ab illiteratis posse legi, vt ex illis pariter, pro suo quilibet captu, erudiri valeat; ac tandem in omni accidente tam industrius fieri, vt tanquam spiritualis, omnia diiudicet; breuitatemque nostram copiosè suppleat. & hoc vt utiliter fiat, cum primis in lectione huius praxis obseruandum venit, piam

animam sapè aliquot mensibus sese exercere debere in eo, quod vel in vnico articulo continetur, (est enim notabilis mutatio, & gradus b quidam) priusquam illa, quae sequenti articulo dicuntur, practicare possit. quia verò in actus exercitio quotidie, & omni propemodum hora, noua, & alia atque alia dispositio, vel operatio, subsequitur; vt vel scripto impossibilia sint, vel codices immensi scribendi forent, hinc consequenter dicendum erit,

*Familiaria colloquia de mysticis in praxi
efficacius illuminare. quam ea quae
scripto traduntur.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Factum est c dum fabularentur, & secum
quererent: & ipse IESVS appropinquans
ibat cum illis. & dixerunt nonne cornostrum
ardens erat in nobis, dum loqueretur
in via, & aperiret nobis scripturas? Ac si
diceret, o pia anima, vbi sunt duo vel
tres congregati in nomine meo, de rebus
deuotionis loquentes, ibi sum in
medio eorum; vt scilicet ipsorum colloquia,
diuinæ bonitatis praesentia beare, & veritatis
lumine illustrare, valeam; & idè se Dominus
discipulis de se loquentibus adiunxit, dubitationis
tenebras scripturae interpretatione diluit, &
ardentis amoris gaudio impleuit. delitiae enim
ipsius sunt, esse cum filiis hominum, maximè
quando de ipso, eiusque Diuinitatis praestantia,
colloquia sancta

a Hic a. 6. b Vt latius habetur infr. par. 6. a. 4. c Luc. 24.

sancta miscentur; quo ita tanquam hierarchici ordines, inferiores à superioribus illuminentur, altioraque abscondita diuinæ naturæ confortia distribuuntur, ad summi illius boni fruitionem continuandam, ac magis, magisque in charitate radicandam, quod quidem longè meliùs, faciliùs, clariùs, ac largiflue magis familiari colloquio, quam scripto fieri, præter quotidianam praxin ipsa ratio conuincit. quæ enim scripta sunt præsertim de vltimis, & perfectioribus tum statibus, tum operationibus; ea tanquam liber, quem Iohannes in cœlo vidit, intus & foris scriptum, duplicem habent in sui lectione difficultatem. primò quidem foris, & secundum verum, ac genuinum sensum; qui etiam ipsis scholasticis, & viris sacra doctrina maximè instructis, frequenter obscurus est. Secundò vero intus; quia nimirum in practico exercitio, difficulter elicitur ille mysticus sensus, seu potius species, ad Hic, & Nunc instans propria, ad veram, & vitaliter elicientem operationem necessaria. & hoc ipsum, vel quod mysticus scribat superficialiter, & speculatiuè, ac pro ut rationis iudicio de his sagax ingenium discurrere potest; vel quod etiam in sacra doctrina, & praxi amorosa expeditissimis contingit, quod ea quæ scripserunt, non nisi notabiliores status, operationes, & dispositiones respiciant; vel quod prudentiori loquutione opus sit in ijs, quæ in publicum abeunt, quam quæ auribus insonant.

quod postremum quidam non aduertentes, & fortè in sacra doctrina non satis versati, licet pij Catholici sint, quædam scripserunt, quæ iurè merito ab illis, quibus credita sunt eloquia Dei, reijciuntur.

Eapropter, familiares inter se amici Dei, frequenter in arcanis colloquijs magnam impendunt moram, & angelicis penè collationibus mutuo illustrantur; sibi ipsis, pro vt in sua quilibet arte facere solet, verba, terminos, ac similitudines fabricantes; pro vt summa illa, & verbis inexplicabilia bona, quæ Deum diligentibus præparata sunt, exposcere videntur; vt exindè in prima illa veritate, simul idem lumen intelligendo, idem summum Bonum simul diligant, nemini dantes vllam offensionem: præsertim si cum alterius sexu, illa, de qua supra a dictum est, cautela adhibeatur. tum enim qui ex aduerso est, veretur; nihil habens mali loqui se nobis; nisi ad illam malitiæ colluuiem prolapsus sit, vt qualem se in brutali concupiscentia aduri sentit, tales etiam in cœlestibus colloquijs conuersantes, iudicet, cauilletque. cum autem frequenter quorundam verborum, & loquendi modorum fiat mentio, idè hoc loco simul explicantur, & dicitur,

Qua sit differentia inter mysticos fundos, Dimensiones, Sphæras, Regiones, Vbi, situs mentale, operationes seu verba, ac status.

ART.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Ex christo totum a corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis corporis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit, in adificationem sui in charitate. Ac si diceret, o pia anima, sicut suis spatij transseunt vniuersa sub sole, & omnia, & singula eorum quæ sunt; diuinæ, & ab oculis hominum absconditæ sapientiæ vestigium, & particulæ quædam sunt visibiles, & alijs, atq; alijs modis, potentijs, earumque intensioribus, aut remissioribus actibus perceptibiles; ita quoq; id, quod in mente nostra, ac spirituali natura, tanquam summè intelligibile quodammodo occultum est, & etiam supra intellectum, & mentem agitur; per varias perceptibiles differentias, & ad inferiora dimissiones, modo accommodatori, crassiori, & imaginationi, sensuique viciniori sese conformare debet: vsque ad resolutionem rerum materialium, quarum quidditas obiectum proprium est rationalis creaturæ.

Amor ergo, & veritas cum non habeant imaginem, maximè pro vt amor intellectum, & mentem excedit, & animam in optimo modo à Deo accipiendi, in hac vita constituit; & veritas supra verbum formatum, perfectum, & absolutum in spiritu, noticiam incomprehensibilem, vt id ex quo, aut de quo verbum formari potest, contineat; tanquam eminenti modo, operationibus potentiarum inferiorum

incommunicabilis sit: oportet, vt secundum naturæ ordinem, propter colligantiam virium animæ in vna essentia, & animæ, & corporis in vno esse compositi, vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influant; quod in aliquo eorum superabundat.

Et ideo à perfectissimo ad perfectæ, & imperfectiora procedendo, cum anima in amoris excessu, verbi gratia, supra mentem, & actiones intellectus prius constituta, dein ad intellectus functiones restituta fuerit, pro subtilissimo, & primò, quod in spiritu contingit, est resultantia speciei Agalmatis, quæ diuinæ naturæ perfectissimam quandam similitudinem continet; vt iterum mentaliter operari possit: quousque simili modo, amor intensus operationes intellectus extra statum suum dimoueat, ad alium amoris excessum. postquam autem post vicissitudines similium operationum ad noticiam reflexam mylticus descenderit; speciem aliquam dimissiore intellectus fabricat, & situm quendam mentalem, vel vbi, simul coadstare animaduertet; dein si dimissius operatio fluat, phantasiz loco regionem aliquam, ceu orbicularem sphæram, in eaque dimensionem quandam sublimitatis, longitudinis, profundi, vel latitudinis obseruabit; quo ita in adificatione, seu maiori radicatione in charitate, totum hominis compositum, & connexum, per omnes iunctu-

R ras

ras operationis perficiatur, diuinasque beneficentias proportionatè distribuat, tam infimis, quam supremis animæ viribus. & hinc fit, quod sicut non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut caput pedibus, non estis mihi necessarij; ita etiam quæ supra intellectum, & mentem fiunt, non possint dicere intellectui, & rationi, aut intellectus; ratione imaginationi, ac sensibus, non estis mihi necessarij. quia licet his, in supremis operationibus non indigeant; attamen in ordinario viuendi modo huius vitæ, & in ijs omnibus, quæ excessibus amoris inferiora sunt, plus, minus illis indigent: cum intellectus nostri obiectum, sit quidditas in materia corporea existens. atque hic est modus influendi à supremis viribus, ad inferiora; quando scilicet anima post amoris excessum, paulatim ad inferiora, & sibi innata relabitur.

Postquam verò, modo ordinario, per operationes intellectus agentis, à minus perfectis *a* ad perfectiora, & perfectissima ascendendum est; ab ijs quæ sensuum, & phantasiæ loco sunt, incipere cogitur. & tum, vt animus quodammodò de nouo, ad proprias operationes veltiri possit, omnium primo sentitur fundus; *b* qui aliud non est, quam à Deo in nobis concreata, & æternum (etiam in damnatis) durans ad Deum, vt ad summum bonum, tendentia, desiderium, seu diuinitatis gustus quidam. hic porrò fundus *c* duplici modo percipitur; Primò per mo-

dum cordis, siue centri, & pro vt ex eo principium operationum internarum profluit ad circumferentiam aliarum potentiarum, & operationum: & tum actuale exercitium vnitiui amoris fit in virtute concupiscibili, & sub ratione, summi boni dulciter amati. secundo verò percipitur hic fundus, seu ad Deum innata tendentia, in virtute intellectuali. quando supra affirmationem, seu amorosam in Deo bene efficientiam, per negationis præstantiam omnia transcenduntur, & in spiritu ad summum pulchrum, conformiter ad substantias separatas, depurata intelligentia, fit penetratio: prout de vtroque hoc fundo, præ omnibus Mysticis, Taulerus frequenter tolet vtilissimè, quamplurima loqui. hoc porrò fundo excitato, siue hoc ipsum per modum cordis, siue per modum spiritus, fiat; illicò visuri interno, vt infimum quid sensuum internorum, se se offerunt dimensiones quædam, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, vel profunditatis: qui quidem visus, pro noua actuali interioritate à tumultu sensuum rerum mundi, seu quæ ad rem mysticam non pertinent, abducit, & vel dextrorsum, vel sinistrorsum, deorsum, vel sursum, pro vt in præsentiarum operatio spiritus ex postolauerit, attrahit; deinde in ad boni æterni perfectam similitudinem, scilicet orbicularem aliquam sphaeram, cælum, vel regionem quandam perducit, in eaque situm aliquem tribuit, plus minus animum eleuando, vel depri-

a Vt latius inf. paraph. 6. *b* Fundus mysticus quid sit. *c* Est duplex.

vel deprimendo; ac postmodum in Vbi aliquod constituit, ita vt taliter sit ibi vt similiter hic non sit, plusque ibi sit, vbi amat, quã vbi animat; a donec omnia dicta tanquam vmbra duntaxat, latibula, particulas, ac interpretes diuinæ magnitudinis, non amplius necessarios deserat, & puram summi boni speciem vel similitudinem, per intellectum agentem exprimat, atq; illic per intellectum patientem, totam rationem boni intellecti efformet: vt ab utroque intellectu pulchri amor resultet, quod idem est, ac verbum Mysticum proferre, seu per operationem internam, purè Deum intelligere, & diligere, & hoc ipsum ita continuo per successiuas operationes, seu novos, semperque dilucidiores intuitus, & sublimiores amoris actus, ex naturali intellectus, & voluntatis fecunditate, facillè, iucundeque in ipsa fruitione, etiam quasi ignoranter, & absque notitia reflexa, seu quod actu operans ad hoc se reflectat, profectos: donec tandem mentis deserens actiones, impetu amoris extra proprium statum, in diuinæ naturæ consortium felicissimè dimoueat. & hoc quidem per omnia apud illos, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus; (præsertim si animum gratia ad mensuram doni sapientiæ, sanatum habeant) tam celeriter contingit, vt vix aliquos liceat conficere passus, quin anima ab infimis vsque ad suprema, conscendat, scilicet in exerci-

tio actus, seu pro hic, & nunc: id quod in vnica horula orationis mentalis, vel pluries fieri consuevit; licet mysticus hoc ipsum non aduertat, siue praxis, siue iudicij defectu. hæc tamen celeritas, per modum status, id est, secundum vniformem (vt plurimum) modum operandi locum non habet. priusquam enim verbi gratia, per statum vnionis ab infimis per media vsque ad suprema omnia perlustrat, ascendatque; dies, anni, & tempora labuntur. & ideò alia est operatio illic in exercitio transiens, &, vt ita dicam paruis, & minutis operationibus fruitionem continuans; & alia, per statum, lineam maioris radicationis in charitate, & vt ita dicam, magna, & longa affirmatione, vel negatione, extendens, pro vt latius tam in deductione statuum, quam pro exercitio actus, operationum, per totam hanc summam explicatur. hic autem ad maiorem notitiam consequenter subijcitur.

*Breuis deductio eorum, quæ eueniunt
in praxi per omnes status
secundæ partis.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in c nouissimis eorum. Ac si diceret, ô pia anima, quæ in statibus prima parte explicatis, propter varias, & insignes diuinæ præsentia

R 2

benè

a Vt latius infra Dec. 4. n. 6. & paraph. 6. & 9. b Quomodo proferatur verbum Mysticum. c Psal. 72.

benè afficientias, pacati animi solatia experta es; ita vt iam quasi de perfectionis statu adepto gaudere videreris, ac summa mystica intelligere posside-reque, iam nunc prius est labor ante te, dum præterita amplius non sunt, & ad futura magnum chaos priuationis rigidæ interpositum subodorari incipis. verè itaque adhuc labor est ante te, quia præ acquisitus amor mysticus, per omnes status scilicet meditationis, adspirationis, & contemplationis, siue affirmatiui, siue negatiui modi, toto hoc statu priuationis depurari debet, ac septuplum colari, sicut argentum, & aurum: & hoc quidem tam diu, donec per statum vnionis, intres in sanctuarium Dei; intres, inquam, status enim vnionis per suum ascensum, ab infimis perpeisæ priuationis, modicè adhuc, & minora quidem, quæ de vnione mystica habentur, porrigit: non itaque sufficit, hoc modo sanctuarium Dei intrasse, & arcano, ac supernaturali modo diuinis fruitionibus interfuisse, nisi etiam in statu transformationis, per donum spiritualis sapientiæ perfusa, in nouissimis, & supremis, diuinæ naturæ consortijs, intelligas perfectissimè, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis non experti, ascenderunt; sed solum purè, & constanter Deum diligentibus præparata sunt.

Vt autem hæc penitiùs intelligere valeas, diligenter obseruandum erit; quod sic est regnum Dei, quemadmo-

dum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increseat, dum nescit ille. tam ordinata enim & subtili alteratione, semen in terram proicctum à se ipso deficit, in herbam, spicam, & frumentum in spica, excrescit, vt hoc ipsum nullo quantumuis etiam fixo intuitu videre possis; sed solum post dierum, aut septimanarum circulum: tum enim si quis reuersus semen inspexerit, quantum ab vltimo tempore, quo illa vidit, accreuerint, clarè diiudicat. ita prorsus in maiori radicatione charitatis per mystica exercitia contingit. cum enim charitas non ex quolibet actu charitatis augeatur; sed moralem quandam multiplicatatem requirat, primò quidem in statu priuationis, cum semente in terra quodammodo moritur, & ab imperfecto, & naturali operandi modo paulatim absoluitur: in vnionis verò statu, in altum excrescit; ac tandem in transformationis statu, fructum centuplum amicitie Dei colligit. & hoc ipsum moderato, & maxime ordinato progressu: quem etiam non omni die, sed post aliquot mensum decursum melius animaduertet. sicut etiam montem ascendens, vel descendens, non quolibet passu; sed post plures passus, notabilem ascensum, vel descensum sui animaduertit. de quo etiam, vel ideò singulariter pia anima moneri debuit, vt si moram traxerit sponsus venire, & pluribus

a Vi paraph. 2. 3. 4. b Marc. 14.

& pluribus etiam annis, ambiguo euen-
tu, susque deque pelagum dilectionis
arcana, transnauiget, non idèd ani-
mum despondeat; sed in funiculis cha-
ritatis se se constringi, trahique sinat,
quocunque impetus diuini spiritus
voluerit. & hisce quidem in genere,
& ad notitiam eorum, quæ vniuer-
saliter ad varia referuntur, præ-
missis, ad specialia singulorum sta-
tuum, & operationum transeundum
est.

P R A X I S
S T A T V S P R I V A T I O N I S
E T P R I M O .

DE IIS QUÆ FIUNT IN INITIO
PER AMOREM DEFICIENTEM A VIVACI-
TATE INTELLECTUALI.

PARAPHRASIS SECUNDA.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi a aurora consurgens? quæ progre-
ditur ait, ac si diceret, non subito, aut prius non visa, hæc pia
anima ambulat; sed iter suum feliciter persequitur, à prioribus sci-
licet statibus, de quibus prima parte dictum est, ad vltiora spatia,
regionesque progrediens; non contenta primam, & secundam di-
lectionem, ac Dei præsentiam incipientium, & proficientium mo-
dis conformem, sibi inescasse: sed futuram, & perfectiorem inqui-
rens, quæ utique quasi aurora consurgit, rutilans duntaxat, ma-
gisque ignem, quam lumen spirans: dum toto hoc statu priuationis
rigorosa, in camino diuini amoris ad purum excoquitur, & spiritali
sanguinis profusione, ad instar martyris, in nouum hominem, qui
secundum Deum creatus est, formatur; pro vt ordinatè secundum
ea, quæ in praxis initio, medio, & fine cuiusq; status, contingunt, la-
tius dicetur insequentibus,

R 3

I. Breuis

a Cant. 6.

- I. Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi voto statu priuationis durante.
- II. Quod propria operatio, quamdiu mysticus in initio priuationis versatur, sit amoris depuratio, à Viuacitate intellectuâ
- III. De querimoniis quæ sunt ordinariè in principio amoris deficientis.
- IV. De formatione amoris deficientis, pro vt est in intellectu per recordationem simplicem.
- V. Quod in simplici recordatione inueniatur spiritualis pulchritudo.
- VI. Quod simplex recordatio foueatur appetitu ad primam veritatem.
- VII. Quod licet sit difficile, quod spiritualis regio, Visus, & formationis industria in superficialem vacuitatem abeant, hoc tamen esse necessarium.
- VIII. Quod singulariter hoc loco cauenda sit immortificata libertas.
- IX. Formatio fruitionis fit ex prelibamine fundi affectu ad instar cogitationis alleviato.

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quæ eueniunt in praxi toto statu priuationis durante.

Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: ac si diceret, ô infelix humani generis hostis, qui tanquam leorugiens circuis quærens quem deuores, quid de virtute, & amore, quo me prosequitur iustus ille Iob, sentis? ad quod callidus ille serpens, quasi probitas illa Iobi ad tantam perfectionis laudem minus sufficeret, protinus respondit: nunquid Iob frustra timet Deum, nonnè tu vallasti eum, & domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra, quasi diceret, mirum non est, imò valde naturale est, quod aliquis Deum

timeat, non peccando, & amet, benefaciendo; quando ab ipso omnia bona, & nulla mala accepit: quia verò fidelis amicus in tentatione probatur, ruinæ humanæ cupidus, superaddit; sed extendende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

Simili prorsus modo accidit piæ animæ in negotio mystico, modi operandi naturaliter, siue per conuersionem ad phantasmata, & rationis discursum; pro vt fit in omnibus antedictis *b* statibus: in quibus etiam mysticus, vt principale agens, & in benedictionibus dulcedinis cupidus, magnum quidem spirituale solatium consequitur, intus, & foris: verum tamen priusquam modo supernaturali, & simplici intelligentia, conformiter ad operationem substantiæ separatæ, diuinis fruitionibus ordinariè, & ex dono habitus supernaturalis vniatur; ab inferioribus, & humanis operandi modis expediri, & depurari

2 Iob. 1. b Totâ 1. parte.

purari debet omnino. Ea propter mysticæ perfectionis ordo, gratia Dei cooperante, ædificium spirituale, & omnes internas diuitias, deliciasque paulatim demoliri incipit, & quasi dicit ad satan; ecce vniuersa, quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. & idcò satan egressus à facie Domini interfecit oves, & boues, asinos, camelos, pueros greges custodientes, filios, & filias in domo senioris filij conuiuantes: donec tandem ad vltiorem instantiam, ipsi etiam liceret extendere manum in lobum, ac piam animam, & percutere cutem, & carnem eius vlcere pessimo, spiritualis tædij, quo ita finaliter misericordissimo Domino, ansa detur amplius benefaciendi. post has enim omnes afflictiones, benedixit Dominus nouissimis Iob magis, quam prioribus.

In initio ergò huius Priuationis (quam diximus esse ablationem præhabitæ deuotionis, seu modi amicabiliter in interioritate cum Deo agendi; ita vt ad priora exercitia redire non possit) à summo, ad quod quilibet per status primæ partis deductus fuerat, vsque ad media descendit; & simul paulatim diminuitur, aut amorosa illa fruitio, aut animosa resignatio, prout ratio cuiusuis, in praxis feliciori successu requirit. & hæc quidem diminutio non paruam solet causare tristitiam; cum putent in profectu spirituali sese deficere; nondum intelligen-

tes, totum hunc statum priuationis aliud non esse, quam impuri amoris ad Deum, purgationem, & ad perfectioris vnionis dispositionem, in medio autem quasi turmatim, & sensibilibiter magis reuiuiscit vitiorum impugnatione, & turbulentia; quæ omnia iam pridem emortua credebantur. accedente ergò hac vitiorum passione, & recedente magis, magisque gustu, aut animosa resignatione, accrescit quoque spiritualis tædij, & tristitiæ inuolucrum, & id quod de Deo est, tam modicum, & paruum videtur, vt nihil omnino ex præhabitis contemplationis fruitionibus, superesse credatur; vitiorum autem molestia, tam viuaci dominio insolescit, vt ipsa etiam cordis abdita & penetrasse, & omnia in suum consensum pertraxisse videatur; vtque vix lubeat, aut actum resignationis producere, aut aliquid boni, sine tristitia, peragere, aut de Deo, rebusque diuinis, cogitare. Et cum peccatum originale ipsam animæ essentiam, secundum quod est primum subiectum originalis peccati, deprauet, in medio huius depurationis, in ipso fundo, ac radice palatus, ex originali iniustitia vitiatum, & à bono incommutabili, ad commutabile inordinate conuersus; amaritudinem suam ad omnem sensum, gustum, & vitam diffundit; vt plenis buccis gustet, quam malum, & amarum sit, à Deo vnquam separatum fuisse. In fine tandem, vti moribundus,

& vi-

& viribus, ac vita penè destitutus, vitiorum, & antea toleratarum tentationum vix quidquam amplius sentiscit, in natura; in spiritu quoque, & diuinis perceptionibus admodum ieiuna manet: paulatim duntaxat à miseria animæ, & spiritus respirando quoadusque ad instar infirmi, lenta valetudine sensus; ratio, mens, & consilium ei restituantur, & ignis diuini amoris præhabitus, ac in puteo priuationis tutatus, & demum quasi in aquam crassam mutatus, affulgente sole a gratiæ, in nouum ignem conuertatur, & dicat ecce nunc cœpi, hæc mutatio dextræ excelsi; in sequentibus statibus probaturus, quod Dominus sit pius, & verè misericors, faciens admirabilem, cum transacta tentatione prouentum.

Et hæc quidem in inferiori homine, graues admodum, & pœnosæ (ex originali iniustitia vitiatæ) passiones sunt, & tolerantia; in superiori verò homine, seu spiritu, tenebræ sunt, & ignorantia, ac prorsus spirituales infirmitates; per quas ad purum decoquitur, & ad modos supernaturaliter operandi, depuratur; Deo optimo maximo dono fortitudinis, alijsque actibus subindè infusus, in eiusmodi agone, piam animam corroborante; ne fortè deficiat in via, & martyrij spiritalis lucta. tædium verò illud impatientis desiderij, erga diuinum amorem, quo necesse erat mentem affici ve-

hementer amantis, absente eo quem amabat, postquam in initio, tanquam lignum madidum ab igne depurante prius fuisset calefactum, & ad nigredinem redactum; in medio miris anxietatibus, vt titio fistulans, cruditates amoris imperfecti exhalabat: vt tandem in vltima dispositione, pulcherrimum lumen, & formam ignis indueret. quare autem hic priuationis status, & rigor sit necessarius, dictum est infra. *b* hæc verò in genere dicenda fuerunt. vt iacula præuisa minus feriant: & eo minus perturbent venientia mala, quo fuerint præscita: tolerabilius enim mala suscipimus, si contra hæc per patientiæ clypeum munimur.

Ad formationem autem operationum, seu verborum mysticorum, pro exercitio actus in hoc statu priuationis, quod attinet; cum hoc loco sit nuda, & mera dispositio ad modum operandi supernaturaliter, & operans etiam ad modicum, in aliqua operatione vix pacificè possit subsistere, nec alicuius singularis fruitionis, seu amicabilis perceptionis diuinæ sit capax: vtilius visum est, ad longum ea deducere, quæ ei euentura sunt, & duntaxat monere, vt ad ea, quæ in initio, medio, & fine priuationis ordinatè explicantur, pro posse, conformiter operetur. ad oculum enim experietur illud Iobi; *c* spondium elegit anima mea, & mortem ossa; ita vt secundum intellectum vix

a Inf. Dec. 2. a. x. & Parap. 7. *b* Dec. 2. *c* Iob. 7.

vix quidpiam cognoscere, & secundum voluntatem vix quidquam amare possit. quia verò, quam diu aliquis in initio priuationis versatur, subindè à magis strenuis, pulchræ quædam operationes eliciuntur, poterit in eo casu mysticus legere ea, quæ de formationibus operationum diximus infra. a iam verò cum præmiserimus ea, quæ in toto statu priuationis contingunt, ad particularia descendendum, & consequenter dicendum erit,

Quod propria operatio quamdiu mysticus in initio priuationis versatur, sit amoris depuratio à viuacitate intellectuali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sol conuertetur in tenebras, b & luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis; ac si diceret, ô pia anima, quæ per amoris exercitia ad summum tibi proportionatum lumen ascendisti, dum in statu contemplationis versareris, scias velim, quod licet maius lumen non videatur, quam lumen solis; hoc ipsum tamen obtenebrari debere, ita vt præhabita spiritualis pulchritudo non tantum deficiat; sed etiam, vt luna conuertatur in sanguinem: per hoc, quod in animali homine, qui bona subordinatione passionum, & virtutis studio afficiebatur, omnis generis tentationes, & carnalia desideria, vtrumque sopita, aculeis suis extimulent, & paulatim ad

arduum certamen deducant, antequam in medio huiuscè priuationis, veniat dies Domini magnus, & horribilis. c

Quando ergò in summo status contemplationis, siue affirmatiui, siue negatiui modi, non amplius subsistere poterit pia anima; quin imò non per accidens, aut ad modicum durans, animaduertit se indies deficere à solitis exercitijs, & adiuuandi modis; continuo etiam omnem habitam pulchritudinem contemplationis, eiusque viuacem gustum deficere, neque etiam ad præhabitas operationes posse redire; sed intima tendentia, ad vltiora licet ignota, inclinari: securè hæc, quæ de initio priuationis diximus, aggrediatur. & principio quidem non agrè feret, spirituales pulchritudinem, seu intellectualem viuacitatem (ad quam in contemplationis statu eleuata fuerat) obscurari, & paulatim deficere; sed humiliter consentiendo, Dei beneplacito se se committat: qui tanquam sapiens architectus à culminibus, scilicet intellectualibus, incipit soluere vetustatem, vt impuritatem amoris corrigat; licet etiam interea simul (nondum tamen piæ animæ cognitio modis) in tenebris ponat latibulum suum; quod vt manifestius appareat, dicendum erit,

De querimonijs que sunt ordinariè in principio amoris deficientis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Dixi d sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me. ac si diceret, ô pia anima,

a Parap. 6. b Ioel. 2. c inf parap. 3. d Eccl. 6. 7.

nima, quæ vterioris, perfectionis cupida, subdubitando, & admirando in te metipsa conturbaris, quod post aliquod annorum spatium, tam in statu meditationis, quam adspirationis, ac etiam contemplationis, siue modi affirmatiui, amorosa consolatione, siue modi negatiui, animosa transcendentia feliciter expensum; ita vt interea ad diuinam sapientiam, vt melius fieri potuit, & tibi opus fuit, te ipsam eleuares. tibi persuadens, quod semper in amore Dei sensibiliter deberes crescere: iam verò ab aliquo tempore constanter videas, te è contra magis deficere, ab habita intellectuali pulchritudine, & amoris diuini gustu: noli putare, quod ipsa hæc tua interior bona constitutio, longius recedat à te licet enim secundum quid, & prout hucusq; consueueras, eam longius recessisse animaduertas, non tamen secundum illum modum, qui purè spiritualis est, & ad quem disponi incipis, longius recedit; sed intimius accedit, ac miris, & tibi nondum cognitis modis accedit, accedetq; magis incessanter. Itaq; vt pane solido cibanda, & vt amica in tentatione probanda; (nihil enim nobis amplius hoc loco cum deuotione sensibili commune est) statue tecum indies, & virili animo repete, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: iustificacionem meam quam cœpi tenere, non deferam. neq; introibo in tabernaculum domus meæ, neq; ascendam in lectum fratris mei; nec dabo somnum oculis meis, nec palpebris meis dormitatio-

nem, nec requiem temporibus meis, donec (gratia Dei mediante in sequentibus statibus) inueniam locum domino, & tabernaculum Deo Iacob; in tantum, vt si diuino pulchro, & bono pro voto potiri, non sim digna; saltem aliud quidpiam quod Deus non est, & ad Deum me non ducit, etiam admittere nolim.

Et quidem eiusmodi fortis, & constans animus, scilicet omnes desolationes tolerandi, tanquam pactum quoddam sit ad diuinum amorem prosequendum, & ad condelectandum legi Dei secundum interiorem hominem, loco præambuli, & dispositionis præuiæ, ad congruè operandum; dein vt fieri poterit, ad exercitium actus, spiritualis oculus ad diuinum pulchrum aspiciendum, eiusq; summum bonum diligendum eleuandus erit; non crassa; sed admodum subtili cogitatione, idq; toties moderatè repetendum erit, quoad vltq; actualis amoris benè afficientia, & cum Deo coniunctio, subsequatur; quæ si obtineri non possit, æquo animo ferendum erit, quidquid molesti occurrerit, & tantò orandum humilius, quantò gustus amoris diuini recesserit longius. ne autem præstans margarita hic abscondita negligatur, consequenter dicendum erit,

De formatione amoris deficientis, prout est in intellectu per recordationem simplicem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Sentite a de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis querite illum. ac si diceret, o pia anima, licet intellectualis viuacitas secundum sensibilem afficientiam diminuat, & quodammodo euanescere videatur; scias tamen in presentiarum adhuc insignes regionis intellectualis superesse pulchritudines, fruitionesq; amoris. hucusq; enim, dum videlicet in statu contemplationis versaberis, vt plurimum per discursus, & illationes interiora tua fouere debuisti; iam vero cum paulatim ad modum operandi supernaturaliter disponaris, oportet vt in posterum simplici duntaxat Dei recordatione tua peragas: & hoc ipsum quidem non cum tali conatu, vt in inferiore homine sensibilis aliquis feruor excitari debeat, prout fiebat in statu contemplationis: tum enim per viam & modum acquisitionis procedebatur, ita vt, quod in optimo spiritus inueniebatur, ex abundantia sua in vires inferiores sensibilibiter influeret, & feruores excitaret; iam vero cum a summo tuo recedas, & spiritualis pulchritudo remittat, nec sit amplius illius efficaciam, vt in sensibiles vires iucundè diffundi possit, ad spiritus subtilitates paulatim animus inducendus est. Vnde mox vt animaduertes fruitionem, seu intuitum animi obscurum vel languidum fieri, ilicò prima illa simplex, leuis, & puri Boni Deiq; recordatio reassumenda est. idè enim dicitur; sentite de Domino in bonitate; id est, se-

dulò agere oportet, vt sensus diuinæ bonitatis non tantum maneat; sed etiam vt in simplicitate cordis, & alleuiatione mentali foueatur, ne à spirituali sua puritate, & luce ad fundum conclusum & tenebrosum detrahatur.

Et quia in simplicitate cordis quære-
re oportet; omni diligentia multiplici-
tas, seu interruptio cauenda erit: quæ
quidem interruptio, est vel ex causis ex-
trinsecis, vel ex causis intrinsecis. extrin-
secæ causæ sunt, opus superfluum non
ex obedientia assumptum, furtiua con-
fabulatio, tentatio hoc vel illud habendi,
vtendi, inuoluntaria mortificatio,
qua contingit aliquid contra inclinacionem
naturalem cum nausea pati, &
similia. intrinsecæ autem causæ sunt a-
riditas, torpor animi, tædium ex aliqua-
li otio, profluente ex non renouatione
recordationis diuinæ, aut inhæsi-
one in obscuro fundo; ex quibus vt plurimum
ariditas, languor & tædium proueniunt.
quod si vero in nullo horum defectuo-
sam te inueneris; & tamen ab optata
cordis simplicitate ad aliud quippiam
prolabaris, hoc non ita grauitè feren-
dum est, cum, etiam nulla posita negli-
gentia, ea sit actiuitas spiritus nostri, &
ad euagationem, seu distractionem
prona, vt diu in vna re (nisi quæ val-
dè alliciat,) consistere nequeat: sed ma-
gis curandum erit, ne ad internum
pondus, seu cæcam interioritatem de-
clines, neglecta illa animi pulchritudi-
ne; quæ sicut ex simplici memoria diui-
næ præsentie acquiritur, ita etiam quan-

do eiusmodi presentia quacunq; tandem occasione euauerit, si uolenter, aut sollicitè eam recuperare uelis, graue potius tadium causabis.

Vt autem in mentali oratione conformiter agatur, oportet primo loco prambuli, & perfectæ dispositionis, ut piissima Dei consolatio abeat, & secundum sensibilem affectum indies magis deserat, ex parte sua; dein ex parte tua, ut illam cum inquietudine non appetas, sed humiliter patienterq; sustineas, quod quasi in terra deserta, & inuisa, & inaquosa, sola, desolataq; incedas. Secundò uerò pro actus exercitio, oportet statim simplicem, & nudam de Deo cogitationem assumere; & hanc simplicem cogitationem, magis magisq; simplicem reddere; & quidem tam subtiliter, ac si nunquam alias ante hac quidquam de Deo sensibiliter percepisses. atq; tum demum, & in hac simplici de Deo cogitatione actualis contemplationis, sicut initium habetur, ita quoq; per aspectum simplicem, continuanda, & renouanda erit: ac etiam finita oratione mentali, alio tempore exercitium orationis, quando reassumendum erit, oportet pari modo pro primo, & perfecta dispositione, omnia sensibilia, crassa, & quidquid ad sensibilem amorem inclinât, deserere; dein iterum à simplici cogitatione incipere. quanto autem solatio hæc fieri possint, consequenter dicemus.

Quod in simplici recordatione inueniatur spiritualis pulchritudo.

a Sap. c. x.

ARTICVLVS QVINTVS.

Apparet a Dominus tuis, qui fides habent in illum. ac si diceret, ô pia anima, si in uera simplicitate, & cordis intentione Deum quæsieris, indubitata fide sciens, ipsum infinitis modis in abscondito spiritus tui, latibulum suum posuisse; fieri non poterit; quin tibi nunquam hucusq; experto modo apparere dignetur. ut autem scias, te simpliciter procedere, non contristaberis te auertere à memoria præteritarum fructuum, & modorum operandi, cum præteritæ operationes iam suum præstituerint; sed omnibus præteritis obliuioni traditis, in Nunc presenti, ut poteris, nude, & purè Deum in Spiritu tuo uiuere, obseruabis; non tamen in illa altitudine, quæ alias secundum elevationem mentalem status contemplationis in cælorum sublimitate contingebat: sed ac si in capitis tui (ut ita loquar) noto quodam non-elevato, sed in te ipso ample, & realè cælo, tuam interioritatem ambiens; illius appetitum, & tendentiæ desiderium amplexaretur. atq; ita apparet ijs, qui fidem habent in illum. fides enim est certus ascensus illius diuinæ presentia, quamuis omnis sensus, & amoris carentia sentire uideantur contrariū, quod quidem hoc loco per quam familiare est. cum enim amoris spiritualis uiuacitas indies dispateat magis, ac magis, eiusq; uisus non habeat, cui firmo aspectu innitatur; crescet infallibiliter quotidie ampliùs pondus uitiatæ naturæ, eiusq; actiuitas, in prioribus diuinæ præsen-

præsentia amicijs, vt in vmbraculo, à molesto certamine tutata.

Et quidem eiusmodi actus fidei, scilicet simplices, & tam intellectum, quam affectum vix afficientes, ac quidquid demum tædij, & ariditatis reperitum fuerit, loco præambuli, & perfectæ dispositionis accipiendum erit; dein pro actus exercitio, admodum subtili, & spirituali cogitatione oculus mentis ad Eum, qui omni pulchro in infinitum pulchrior est, dirigendus erit; quo ita spiritum conditor, spirituales aliquam sui pulchritudinem inuenire concedat, ex qua ille voluntas benè affecta, dein vnitiuo amori aliquamdiu intendat. & quia spiritualis hæc pulchritudo insigniter Deo coniungit; oportet quoque, vt admodum simplex sit ad Deum cogitatio, & totalis obliuio illius, quod affectuosum amorem sensibilibus afficere possit. & hæc, vt efficaciter fiant, dicendum erit,

Quod simplex recordatio foveatur appetitu ad primam veritatem.

ARTICVLVS SEXTVS.

NOx illuminatio a mea in delicijs meis; ac si diceret: ô pia anima, quæ in amore deficiente, ab intellectu prius habita viuacitate, in tantum digressa es, vt iam proximè tenebræ contulerent te; & ad soleitatem tui ipsius, in qua vix quidquam solitæ deuotionis haberetur, deducenda sis; vt ibidem ad oculum videas abominatio-

nes cordis tui, ceu inter parietes absconditas, & tanquam ex fonte ebullientes; scias velim, te prius adhuc tanquam in nocte ablata deuotionis deliciosæ illuminari, lactari, & confortari posse reali, & intimo spirituali gustu.

Hoc ipsum autem, vt congruè fiat, oportet loco præambuli, & perfectæ dispositionis, hominem inferiorem solita deuotione destitutum, tenebras, ariditates, & tædia patientem, quodammodo separare; & suis quidem infirmitatibus debilitatum, patientia autem munitum, deserere: dein pro exercitio actus, simplici illi recordationi, Dei memoriam magis sinceram, & maiestatiuam substituere; idque per appetitum, quo spiritus tuus ad primam illam veritatem, quæ Deus est, fertur: ita tamen, vt licet Deus, eiusque veritas inueniatur, attamen affectus, seu actus amoris non formentur crassi, & sensibiles; sed solummodo humili reuerentia, & submissione diuinum illud, quodque omnibus præstat Bonum, venerationi habeatur, ei que subtili complacentiâ animus cohareat. Et ne aliqua in spiritu de diuino pulchro operatio incautè prætereatur, cum primis attendendum erit, ne sese pia anima à fundo detrâhi sinat, ante tempus; b sed quam diu fieri poterit, iam dicta praxi præambuli, in actus exercitio se gerat; licet in spiritu ad inferiora descendat ab habita viuacitate contemplationis; & subinde ipsa amoris exercitatio non plus afficiat, quam nuda cogitatio. quæ

S 3

qui-

a sal 138. b vt inf. Paral. 3.

quidem omnia si debite fiant, posset pia anima, postquam à summo contemplationis descenderit, per annum, & eo amplius, in spiritu satis bene versari, priusquam à fundi miseria ex toto includatur. & ne quis inutiliter contristetur, de quotidiano, ut videtur in spiritali vita retrogressu, consequenter iam dicitur;

Quod licet sit difficile, quod spiritualis Regio, visus, & formationis industria in superficialem vacuitatem abeant, hoc tamen esse necessarium.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Nisi ego abiero, Paraclytus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. ac si diceret: ô pia anima, quæ non sine amaritudine cordis tui ingemiscis, quod interioritatis tuæ spiritualis illa regio, visus, industria formationis, & quidquid in præcedentibus agendi modis, ad præsentiam diuinam habendam adstabat, de die in diem magis magisque euanescat, & quidnam modo agendum sit ignores: scias velim, quod nisi Dominus abierit, & præcedentia auxilia, modosque procedendi abstulerit, Paraclytum Spiritum S. etiam ad te non venturum, nec te ad pure spirituales operationes perungere posse: omnia enim quæ tibi ablata conquereris, sunt sicut accidentia, quæ facile possunt abesse, & adesse, absque subiecti corruptione, & spiritualis progressus læsione. si itaque abierit, mittet

eum ad te, & si ita egeris, ac si nihil omnino vsque in hanc horam ad intra occupata fuisses, & libenter obliuiscaris omnium præteritorum, te ipsam quoque vacuam, & nulla fruitione affectam acceperis; (sicut etiam realiter horum nihil amplius habes) tum demum te quasi omnino absolutam reperies, & moderatè, silentiosè, ac obliqua, non autem anxia sollicitudine Dei recordationem assumere poteris; ac præterquam quod tempore suo gratia Spiritus sancti dignaberis, etiam modo eius solatium, & quod ad intra agas, inuenies; videlicet, superficialem, & vix leuiter afficientem Dei præsentiam, quam etiam nullatenus vitaliter afficientem appetere, multoque minus proprio conatu formare debes.

Quapropter in quotidiana praxi, ad congruam dispositionem, pacificè tolerandum erit; quod spiritualis regio, visus, industria, & soliti sese adiuuandi modi, in superficialem vacuitatem abeant; dein pro actuali amoris vsu contentari oportet, de Deo, eiusque summo Bono, non plus sensibilibiter affici, quam si de ligno, aut pariete cogitaret, & leui solummodo tendentia, & nuda memoria, cum Deo agendum erit: idque tam diu iteratis, & renouatis vicibus præstandum est, quousque ad fundum, seu cordis centrum, fortem b attractum sentire cogaris. & licet ex eiusmodi dispositione, & nuda, pacificaque tolerantia, modicum deuotionis in sensibili affectu percipiatur; hoc tamen parui

a Ioan. 16. b inf. par. 3. art. 2.

parui æstimandum est, cum ex nunc ad ardua procedendum sit, ac forti animo parturiendum, fructusque præcedentium fruitionum habitatum (per omnes status primæ partis) producendi, ac etiam naturæ vitiatæ insolentia, gulæq; spiritualis appetitus debellandus sit. & quia hæc in praxi ardua sunt, & in interioribus exercitijs desolatus animus, faciliè ad nociua dilabitur, vtili admonitione opus erit, & consequenter dicendum,

Quod singulariter hoc loco cauenda sit immortalificata libertas.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Cvr eduxisti nos de Aegypto, a vt moriemur in solitudine: deest panis, non sunt aqua: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. ac si diceret: O pia anima, quæ apud temetipsam querulosa obloqueris, & dicis, ô vtinam illa deuotione, qua vel adhuc sæcularis, & familiaritatis diuinæ præhabitæ ignara, ceu pane me confortante potiter; nunc autem nauseat anima mea super cibo isto leuissimo, & superficiali illa, nudaque, & vix leuiter afficiente Dei præsentia. Verùm ô pia anima caue reijcias, quod nondum satis agnoscis. panis enim iste angelicis manibus compositus est, & nihil vsque ad eò ad spiritum, eiusque puras operationes deducit, quam à crassitiè, & quasi grosso pane sensibilis amoris absolui.

a Num. 21.

& quum tu (vti adhuc lac sugere assueti) ab eius dulcedine non nisi ægrè abstineas, caue diligenter, ad immortalificatam libertatem, & ad ollas carniùm, atque sæculi varios appetitus reuertaris. hic namque verus, & genuinus est locus respiciendi retrò, & à cæpto itinere deficiendi. pia namque anima quæ se suasque sensibiles, aut naturæ gratas sectatur vias, hucusque, seu quamdiu aliquid diuini gustus ad proprium commodum exsugere potest, interiorem hominem vtunque sequi assolet; verum vbi per singula in Christo luxuriata fuerit, & bonis eius, gratijs, ac amoribus non in vitiatæ naturæ subiugationem, & virtutis exercitium, sed in propriæ sensualitatis commodum perfruita; vbi etiam ad ardua, scilicet vitiorum, non talem, qualem, sed essentialem eradicationem, & virtutum plantationem, ceu fructus producendos præhabitæ deuotionis peruentum fuerit; tanquam infidelis seruus, & planta radicem non habens, ad immortalificationes, commoda carnis, honores, & sæculi voluptates pro posse, peius longè, maioriq; affectu, quam alias in sæculo constituta, reuertitur. idque vel maximè ea de causa, quod fundum, centrum, seu primæ dilectionis diuinæ principium, inordinate à Deo, vt summo Bono auersum, non seriò per mortificationis, & virtutis studia constanter depuret: ex quo facillimè subsequi solet, vt vltèriùs ad modos operandi supernaturaliter, per hanc priuationem

sele

sefe tantum non disponat; sed etiam ab orationis mentalis exercitio abhorreat, & vel à longè, à solo eius odore crucietur.

Tu verò ô pia anima, quæ semper ad minus sincera mente, & vero cordis desiderio, malum in te odisti, & bonum in alio pro viribus imitata es; licet in præsentiarum quodammodo ex toto nuda sis, & solitis internis auxilijs destituta, magna admodum sollicitudine efficere debes, ne in illa spiritus vacuitate libera effecta, ad immortificationes, & exterioritates te effundas. cum enim spiritus hominis in instanti ita operetur, vt amariua virtute non ligatus, facillimè ad quælibet cogitanda, & representanda diuagetur; de fundo etiam modicum haberi possit, quod stabiliter, & benè afficiat; hinc fit, vt omnis animus, & vires facillè dilabatur, naturalisque effusio, & libertas, quasi furtiuè se immittat, loco interioritatis. & quamuis de his minus turbentur viri probati, qui & ipsi circumdati infirmitate, quandoque in camino tentationis tribrati, titubare cœperant; nec facillè contingere soleat, vt Deo fidelis anima, hoc loco peccatum aliquod graue committat: solent tamen nonnulli à mentali exercitio prolapsi, quorum nihilominus eadem est vocatio, & ex instituto mystica exercitatio, ex imperfectionibus illorum, qui iam solitis deuotionibus ad progressum maiorem destitui incipiunt; non tam iustè scandalizari, quam eiusmodi defectus diuulgare,

quo ita alienis maculis contexti, verè, & solidè procedentibus virtuosi magis videantur. hinc ergò irrisores tales, qui etiam à mystica exercitatio in tantum deuiarunt, vt ad propria peccata, vitiaque emendanda; vix vel sincerus animus ipsis residuus sit, omnes actus, & imperfectiones obseruant, vt quoquo modo, & occasione illas recitent, dolosa enim ambitionis astutia obseruant cautè, apud mysticos nihil facilius ipsos deridentes, aut stomachantes viles reddere, quam si ab interna, & mystica felicitate deuiassè notentur. tu ergò ô pia anima, omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit; per mortificationem scilicet sensuum interiorum & exteriorum, ne noxiè confugiant ad libertatem. & ideò determinatis vicibus omni die, longè maiori sollicitudine, quam aliàs vnquam, statuere debes proposita mortificationis videl. non loquendi, non respiciendi, non inutiliter diuagandi. & licet modo non sit tempus fructus mortificationis, & virtutis producendi cum sensibili deuotione, & gustu; est tamen tempus hæc præstandi sine tali gustu, ne fortè tibi pijsimus Dominus, sicut ficui (licet non esset tempus ficorum maledicat, & diuina permissione ad defectus, peccata, & vitia prolapsa arefcere contingat. quanto ergò sollicitius ab exteriori immortificatione sese cohibuerit; tanto intimius ac facilius interiora sua dijudicabit, pro vt iam consequenter dicemus,

For-

*Formatio fruitionis fit ex prelibamine
fundi affectu ad instar cogitationis
alleniato.*

ARTICVLVS NONVS.

Nox vobis a pro visione erit, & tenebra vobis pro diuinatione. ac si diceret; o pia anima, quæ in præcedentibus pijs exercitijs tanquam apis argumentosa, constantem amorem collegisti, ab eoq; non cum immortificatis, & proprias oblectationes quærentibus retrocedis; sed potius per deuia, & inuia, fusquæ, dequæ dilectum, etiam fugientem, & sese abscondentem, virili animo insequi statuisti, scias velim; ex nunc pro visione noctem te habituram, & pro diuinatione tenebras, in eo quod lumine spiritus sublata, in quo pulchras diuini amoris species habere solebas, substituendus sit tenebrosus ille fundus, seu carcer interioritatis, in quo conclusa, nil, aut modicum videas, lumen tamen summopere appetens. & certè, quantò amplius spiritualis regio, & visus in vacuitatem, & nihilum abeunt, tantò ad fundum, tanquam ad primum principium dilectionis, (licet inordinatis affectibus vitiatum) fit prolapsus vicinior; vt ex eo sicut ex radice, & indelebili ad Deum tendentia, speciem aliquam seu vitalem in Deo afficientiam elicere habeas. Verùm quia eiusmodi afficientia admodum tenuis est, & obscura quadam nocte, ac languenti tædio obuoluta; oportet vt hæ tenebræ sint tantum pro diuinatione, id est, pro

notitia loci, seu sphaeræ, circa quam versandum sit, ad habendam aliquam realem interioritatem. iam verò cum ilicò inibi operandum fuerit, & fruitio assumenda, ac continuanda; oportet vt illa nox, & quidquid in fundo ponderis est, pro visione recipiatur, & leui duntaxat, ac quasi indirecto oculo spiritus aspiciatur, simul vt fieri poterit obliuioni dando fundum obscurum, specie solum, seu visione illa, & notitia primi, & optimi Boni, retenta: idquæ solummodò loco præambuli, & perfectæ dispositionis ad præsens nunc imminentis propriæ operationis. quod si dein ad exercitium actus, ex reali coniunctione cum Deo, species aliqua benè afficiens elici, foueriquæ possit, subtiliori semper interno aspectu; aderit indubiè grata, pulchraquæ in Deo fruitio: sin autem ad primum etiam visum impertinens quidpiam ilicò sese immisceat, & familiaritatis cum Deo, vel gustum, vel continuationem impediatur, iteratis, & renouaris vicibus, fundus obscurus, in eoquæ latens Dei afficientia, quasi pro visione habenda erit; ita vt solum spiritualiter inibi videatur tendentia ad Deum, non autem vt à fundo, eiusquæ tetra ponderositate includi, & captuari se permittat; nescio qua non nausea, & melancholica auersione, in omnibus solitis exercitijs, sibi, alijsquæ facta grauis.

Et certè quoadusque ex spirituali profectu, in ipsum fundum, & centrum amoris ineuitabiliter, & constanter

T ter

a Mich. 3.

ter prolabarís, cum primis necessarium est, vt illa inclinatio quæ ad fundum & amorem in corde potissimum residentem, post statum contemplationis, & spacia in Diuinitatis notitia, & amore, expleta, solet incipere; maxima cautela cohibeatur, & in simplicissima à fundo ponderoso alleuiatione, quantum possibile est, foueatur: quamuis non plus ex inde, quam ex alia re, quæ sibi peregrina est, moueatur. Verè enim hoc loco Deus est absconditus; vnde etiam pia anima ipsum Deum, in nocte huius obscuritatis, non tam sensibili, & crasso modo desiderare, quam spiritu suo in præcordijs suis, de mane ad ipsum vigilare, & etiam minimum lumen, velut crepusculum matutinum animaduertere, & ad sustentationem, assumere habet; idque tam leui, simplici, ac spiritali visu, quam fieri poterit, in qua quidem leuitate practicanda, frequenter se defecisse, eique inhæsiorem fundi tædiosi præelegisse experietur, si diligentem observationem suæ interioritatis habuerit.

Duabus porrò de causis, affectus ad instar cogitationis, hoc loco alleuian-

us est. Prima quidem, quia secus vix quidquam ex dictis operationibus, post statum contemplationis positus, experiri poterit, non sine maxima interioritatis molestia, fortè vnum, aut alterum annum transigendo. Secunda, quia ante tempus ad fundi miseriam, & amoris depurationem sese vel iniicere, vel abripi permittere, est tanquam minus amoris perfectionem habenti, plus oneris, quam ferre possit, sibi imponere, non sine admirabili proprio, & aliorum tædio; quod ex impatienti modo agendi procedit necessario, vtpotè cui solatio vndique destituito, afflictio languentis fundi, ceu carcer superaddatur. Quapropter vbi pia anima quantum poterit per varias alleuiationes, ab obscuro, & ponderoso fundo, tanquam à pænofo carcere sese alleuiarit, & tandem constanter senserit, sese non posse amplius huic centrali carceri resistere; in Dei nomine, & auxilio confidens, liberè consentiat se in lacum tenebrosum deijci iuxta ea, a quæ

hic inferiùs explicata
legerit.

a Paraph. 3.

ET

ET SECVNDO

DE IIS QUÆ FIVNT IN MEDIO
PRIVATIONIS PER AMOREM LANGVEN-
TEM A VIVACITATE VOLVNTATIS.

PARAPHRASIS TERTIA.

Pellem pro pelle a & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Pellem, inquit, pro pelle, ac si diceret, adhuc vna, eaque ardua superest veri amoris proba; si nimirum Dei iussu os, ac caro eius tangatur, & pia anima in imis visceribus spiritus, sibi proprijs doloribus exagitetur. itaque infernalis illa fames, qua aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret, assumpta etiam omni substantia Iobi, expleri non potuit, donec & os, & carnem eius, paulò minus quam deuorandum, masticaret. vt itaque extremo certamine crudelissima tentatione Iobi constantiam in Deo & timendo, & amando articulatè examinaret; egressus Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Et certè quod similis plaga, & spiritualis dolor animæ mystico exercitiò consecratæ eueniat, ita vt præ desolatione, & ariditate spirituali, omnia verba eius dolore sint plena, atque magis eligeret vlcerina sanie, cum Iobo in sterquilinio diffuere, quam vsque ad eò se uero diuini amoris examine, igneque depurari; hoc iam dicendum est, secundùm ea, quæ in medio priuationis contingere solent. in quibus, licet quædam reperiantur horrida, constanti tamen animo sunt, Deo adiuuante, tolerabilia, & ad modum operandi supernaturaliter, immediatè disponentia; vnde & consequenter dicitur

a Iob. 2.

- I. *Quod propria operatio, quam diu mysticus in medio priuationis versatur, sit amoris fortissima decertatio.*
- II. *Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum.*

T 2

III. Or-

- III. Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum.
- IV. Violenter exagitur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insipientibus natura corrupta passionibus.
- V. De admirabili priuatione B. Angela de Fulginio.
- VI. Tota circumferentia seu omnes anime potentie doloribus adimplentur, vsque ad mortis anxietatem.
- VII. In hoc agone dolores anime blandimento compassionis, aut etiam amore diuinitus excitato mitigari.
- VIII. De signis quibus assecuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quàm diu mysticus in medio priuationis versatur, sit amoris fortissima decertatio.

Confabulabor a cum amaritudine anima mea, nunquid mare ego sum; aut cetus, quia circumdedisti me carcere? ac si diceret; ô pia anima, quæ ob spiritualis solatij carentiam, & vitiorum, malarumque inclinationum insolentiam, tanquam à maris tempestate concuteris, & in fundo, seu centro cordis, quasi in carcere concluderis; in tantum, vt si pro quiete, & solatio effugium quæras, tanquam cetus in Oceani profundo, fluctibus vndique agitatus, longè amplius tibi metipsa facta grauis, spiritualibus tædijs inuoluaris, vnam post alteram, eamque maiorem abominationem cordis tui sustinendo; scias velim, quod pijsissimus Dominus, in vasis fictilibus debellaturus diabolum mundum, carnem, & concupiscentias eorû;

ita tecum agat, sicut Rex cum amicissimis, & fidelissimis regni sui, quos in delicijs & palatio suo varijs ante solebat fouere recreationibus: bello autem instante ad loca deserta, inuia, & inaquosa perducit, vbi ipsorum labore, fortissimè contra inimicos oppugnandos, se munet, nihili faciens, quod fame, siti, frigore, calore, fatigationeque exhauriantur; imò si quis illorum grauem incidat morbum, pluribusne faucietur vulneribus, nihil ipsum à cæpto labore cohibet: quin imò, quanto quis amplius in eiusmodi molestijs sese animosum, & laboriosum ostenderit, tanto etiam ipsi Regi gratior erit, cum fidelem amicum in tentatione probarit.

Toto ergò tempore, quo cum pijsissimo Saluatore nostro, à Spiritu sancto in desertum ducetis, vt & abominationes cordis tui discas agnoscere, & funditus eradicare; siue interea displiceant pietatis, & virtutis solita exercitia, siue de diuina bonitate, eiusque in te presentia diffidas, siue contra Deum Opt. Max. aut etiam amantijsimum alioquin spri-

spiritualem magistrum, aut quamuis aliam creaturam, ac maximè contra temetipsam impatientia, aut tristitia commouearis: quam diu, inquam, in deserto cordis tui ab omni tentatione probari habes, aliud vt plurimum agere non poteris, quam propriissima, & huic statui maxime conformi operatione scilicet confabulari cum amaritudine animæ tuæ, & humili resignatione, demissoque animo dicere, ac ingemiscere; ô piissime Deus, quæ est fortitudo mea vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam; nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est: attamen ô misericordissime Domine, hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcas, nec contradicam sermonibus sancti: & qui cœpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me; vt sit in me per tuum auxilium fortis, vt mors, dilectio. verè enim hoc loco tam fortis est dilectio, vt licet omnes creaturæ piæ animam discruciant: attamen ab amoris diuini progressu, dimouere non possent. iuxta illud Pauli. *a* Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura,

neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. & hisce in communi dictis, consequenter dicendum est, de ijs quæ in particulari eueniunt.

Mysticus tandem prolabitur in ipsum fundum, seu centrum amoris, ex originali peccato vitiatum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EGo lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, *b* & loquar ad cor eius. ac si diceret, ô pia anima, quæ lacte consolationis, aut animosæ resolutionis, interiora tua percurrerebas, & iam immediatè ad solitudinem amoris *c* deficientis deducta es, ita vt eorum, quæ ad rem tibi videntur facere, nihil amplius sentias; scias velim, adhuc superesse, vt Deus loquatur ad cor tuum, & probet ea, quæ sunt in animo tuo, & tibi ipsi notæ fiant abominabiles cordis tui; de quo vtique tanquam amoris fundo, seu centro (licet ex originali peccato vitiato) exhibunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, blasphemias, & sexcenta similia: quibus licet in spiritu, & secundum quod graue peccatum committi potest, non consentias; attamen oportet, vt vitiorum, & malorum inclinationem, ceu amarissimam potionem, gustes, bibas, & ebibas vsq; ad fundamentum in ea. nec vllum sit malum, cuius

T 3

a Rom 8. b Ose. 2. c sup. paraph. 2.

cuius non aliquo modo siue per elongationem à gustu deuotionis, siue per libamen aliquod diuersarum cupiditatum, siue posituum tædium spiritus, animæ, & cordis tui excrucieris; idque vel à Satana, vel à malitia propriæ naturæ, vel ab ipsis bonis, ac virtuosis operibus, quæ necessariò peragere habes; cum ea vel maxima amaritudine, vt intima cordis tui inordinatione turbata, nil solatij à creaturis, vel à Deo, aut etiam aliquo amantissimo, & fidelissimo spirituali magistro, suscipere valeas; licet interea nullius peccati (alicuius considerationis) conscia; attamen à præsentis angustia, omnino conclusa, vt illius tolerantia admodum grauis videatur, ac interim quo te ad alia vertas, neque scias, neque appetas: & tanquam amore ebria impediaris, & ingrediaris; vbique circumferens quod lugeas, & tamen occultè simul ames, hoc namq; centro cordis, & amoris fundo proprium est, ita sibi superiores, & inferiores potentias attrahere, habere, & mordicè tenere, vt ad alia non dimittat, quod vinculis suis perstrinxerit,

Atque ideò etiam pro actus exercitio, tam in oratione mentali, quam extra illam, die, noctuque, nihil tibi tantum proderit, quantum humilis subiectio in diuinam prouidentiam; per quam te in tua malitia (ex amissione originalis iustitiæ orta; & forte ex peccatis actualibus, quondam auerta) quasi pannis infantia inuoluit: vt interea dum à centro ad circumferentiam ex-

halat, & emoritur mens, ratio, & consilium fugiant à te; quoadulq; sufficien-
tet in diuino amore depurata, Deo miserante, tandem animum gratia sanarum, consequaris. iam verò pro interiori exercitio, in tanta anxietate, quid adhuc fieri possit, accuratiùs, consequenter dicendum erit.

Ordine promiscuo per tendentiam affectuosam, vel intellectualem hic procedendum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in precordijs meis de mane vigilabo ad te. ac si diceret, ô pia anima, cum ad noctem interioritatis perueneris, ita vt nihil videaris præstare posse, scias velim in intimo animæ tuæ adhuc superesse quod agas; nimirum vt in imo fundi, & cordis tui, ex inseparabili ad Deum, & tendentia, & dependentia, ipsum summum bonum (vt in seipso temper, & immutabiliter uiuit) beatum, desideres, eiq; quam ab æterno habuit, ac habet beatitudinem faueas, appreces, Eumque vt tuis miserijs minimè subiectum, collaudes. hoc ipsum tamen non putes faciendum esse, cum gustu spirituali, vt quondam; sed his & similibus pijs cordis gemitibus operaberis, vt quod ex te est, facias, nec otio, tædiouè deuicta, afflictionem afflictioni, & nauseam nauseæ adicias: ideò enim dicitur anima mea desiderauit te in nocte; in qua sunt tenebræ,
pon-

pondus, & ignorantia eorum, quæ agenda assumuntur: sed & in spiritu meo, inquit, in præcordijs meis mane vigilabo ad te, ac si diceret, sicut cum in affectu, seu parte amatiua non est aliquis vitalis gustus Dei, aliud non possum, quam vt simplici desiderio, ad Deum ferar, eique contester quia ipse sit, quem diligit anima mea; ita & in spiritu agendum est, quando ille vagus, & profugus ad quælibet impertinentia dilabitur videnda, vt scilicet de mane, id est ante, & super omnia aduigilem, si forte videam, & ex præcordijs tantum, à longe; & vel modica afficientia cognoscam, quod ipse est lumen oculorum meorum.

Quamobrem ô pia anima, in Nunc præsentem, tanquam apis argumentosa, Domino deseruias oportet, quæ postquam ex floribus mel collegit, cum vix quidquam amplius quod exfugat, mellis reperiat, attamen ex sollicita diligentia, de flore in florem volat, & de nouo attentat, si quid inueniat, quod attrahat, vnde viuat, ilicò ad alios, aliosq; flores pari conatu aduolans, nec ab inuestigationis labore cessans; licet nil mellis, nil dulcedinis, nil sustentationis inueniat; pace quadam, & vita fruens, quod suo instinctui, & actiuitati satisfecerit. ita, inquam, ô pia anima agas oportet, & modo secundum intellectum, modo secundum voluntatem, modo querulosi gemitibus, modo resignato corde, modo humili, & quieta tolerantia attentes; num vel leuem odorem floris, seu melliflui illius

primi, & summi boni, etiam vel indirectè elicere possis; siue hoc ipsum sinistrorsum, siue dextrorsum, sursum vel deorsum, ingrediendo, egrediente fiat. & hinc etiam additur de mane vigilabo ad te; quasi diceret, omnium primum quod ago, & omnium vltimum per totam diem, & tempus, quo in hac nocte, & interiori derelictione versor, est, vt attentè circumspiciam, & audiam, si vel minimum assequar, cui me associare possim; & si nulla eius vel notitia, vel dilectione digna sim, mihi sufficiet sollicitudinem meam ostendisse, & molesta quaestione, circa ipsum, quem diligit anima mea, occupatam, nec alijs naturæ vitiatæ cupiditatibus ita allectam fuisse, vt ab eis abripi potuerim, & illis voluntariè oblectari. quo in genere piæ animæ idem accidit, quod infirmo, qui licet in summis doloribus viuat; cogitatione tamen, & desiderio animi, optime valet, ac spe sanitatis consequendæ, libenter consentit, quod secetur, & vratur; simul probè intelligens, absque medicamentorum acerbitate, nullum salutis suæ superesse remedium. hic non obstantibus, maiora, & duriora certamina adhuc subeunda esse, constabit ex sequentibus.

Violenter exagitur mysticus in quatuor gradibus amoris, quasi insanientibus natura corrupta passionibus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Nunc quoque in amaritudine est a sermo meus, & manus plage meae aggranata est, super gemitum meum. si enim me ad Deum conuertero, & ad orientem iero. non apparet; si ad occidentem, non intelligam Eum. si ad sinistram, quid agam? non apprehendam Eum. si me vertam ad dexteram, non videbo illum. ac si diceret; ô pia anima, en nunc amoris violenti molestiam sentire debes; conclusus enim amor, est sicut mustum sine spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit, corporisque debilitatem præ nimia cordis, & spiritus anxietate infligit. magna ergò vis est dilectionis, magna virtus charitatis, multi gradus in ea, & in eis magna differentia [charitas b enim vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. quid horum non violentum? quid horum non validum? primus igitur gradus violenti amoris est, quando mens desiderio suo resistere non potest quin vulneretur. nonne tibi cor paruulum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitè penetrat, affectumque transverberat in tantum, vt desiderium, siue æstum concipere

animo non valeat, desiderium ardet, affectus æstuat, anhelat profundè ingemiscens, & longa suspiria trahens, vt dicat: vulnerata charitate ego sum?]

[Secundum verò gradum amoris violenti diximus illum, qui ligat; sicut primum diximus, qui vulnerat. nonnè, inquit, c sine omni contradictione animus ligatus est, quando omnium obliuiscitur, vt aliud meditari non possit: quia quidquid agat, quidquid dicat, semper hoc mente euoluit, perennique memoria retinet, hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora tractat. Vndè facile est perpendere (vt arbitror) quanto hic gradus priorem gradum transcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam esse permittit. Rectè igitur dictum est, quod prior gradus sit qui vulnerat, Secundus sit iste qui ligat. licet ergò ligare minus sit quandoque, quam vulnerari, tamen maior violentia videtur esse, si postquam aliquis percussus deijcitur, deiectus deprehenditur, deprehensus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur atque ligatur, & iam omninò captiuus tenetur. quid horum, quæso, maius & violentius? Ille liber est, iste autem à loco in quo retinetur recedere non potest. sic utique qui à secundo gradu violentæ charitatis absorptus est, quidquid agat, quocunq; se vertat, ab illa vna, & intima sollicitudinis suæ cura auelli non potest, quia ligatus est.]

[In

a Iob. 23. b Rich. de 4. grad Charit. viol. c Ibidem.

[In hoc igitur tertio gradu violentiæ a charitatis nihil omnino satisfacere potest præter vnum, sicut & nihil sapere potest, nisi & vnum, vnum amat, vnum diligit, vnum sitit, vnum concupiscit, ad vnum anhelat, ad vnum suspirat, & in vno inardescit, in vno requiescit, vnum solum est, in quo reficitur, vnum solum ex quo satiatur; nihil dulcescit; nihil sapit, nisi hoc vno solo condatur: quidquid ultra se offerat, quidquid sponte occurrat, citò rejicitur, citò conculcatur, quod suo affectui non militat, vel eius desiderio non deseruiat. sed quis huius affectus tyrannidem digne describat? quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violentè opprimit quod suæ concupiscentiæ deservire non conspicit. quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur nisi in vnum sui desiderij finem concurrat. cum autem frui potest eo quem diligit, omnia pariter se habere credit; sine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabescit, & languescit, consilium non accipit, rationi non acquiescit, nullam consolationem admittit; sed clamat cum sponsa: nuntiate dilecto, quia amore langueo. vbi ait Glossa: præ amoris magnitudine omnia temporalia sunt mihi fastidio. sicut ergo primus gradus affectum sauciat, sic secundus sauciatum ligat, & tertius actionem implicat, vt animus circa aliqua occupari non possit, nisi

quo eum voluntatis diuinæ motus transfert, vel impellit; & sic qui ad hunc tertium gradum amoris profecerunt, nihil iam propria voluntate agunt, nihil omnino suo arbitrio relinquunt, sed diuinæ dispensationi omnia committunt] quapropter o pia anima sancti Ignatii martyris patiendi desiderio, per hos amoris ardores succensa, ad Dominum ora dicens: (frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar; & idcò ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. dubium enim non est, quin Deus optimus maximus malum originalis culpæ, & auersionis à Deo, cum immissione per angelos malos, hoc loco permittat largiter excruciare, omnes corporis, & animæ potentias.

Quartus verò charitatis b gradus violentiæ est, quando æstuantis animi desiderio iam omninò nihil satisfacere potest, & idcò ad defectum ducit. quis huius supremi gradus violentiæ dignè pensare sufficiat? quid quæso cor hominis profundius penetrat, vehementius exagitat, quam quod sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando extinguere possit? in hoc præterea gradu est amor insuperabilis, quia alij affectui etiam maiori nõ cedit; inseparabilis est, quia à memoria nunquam recedit; singularis est, quia sociũ non recipit, insatiabilis est, quia ei satisfieri nõ poterit.

V

His

a Ibidem. b Ibidem.

His igitur, & similibus cruciatibus, planè oportet, ò pia anima, vt in amaritudine sit sermo tuus, & manus plagæ tuæ aggrauetur super gemitum tuum; ita vt igne diuini amoris occultè, & in fundo succensa, exeas, & conuertas te ad orientem; & tamen Deus ad angustia tuæ leuamen non appareat, pergas ad occidentem, & Eum non intelligas, cundo ad sinistram, nescias quid agas, vertensq; te ad dextram, illum non videas. hæc est enim hora satanæ, & potestas tenebrarum naturæ corruptæ, vt eius interiectis passionibus, ceu aculeis in corde icteris, intentione proberis, & tanquam aurū ex imo, & fundo cordis depureris. quamuis autem non omnes æqualiter rigore privationis huius sentiant, a quia tamen hoc loco pijsissimus Dominus, à fundamentis, & originali peccato, per propria mala commouet; ignis amoris exæstians, & clausus in ossibus ariditatis, per spiritum, quem Deus piæ animæ immisit, quilibet sibi proportionato modo, clamat. Abba pater: cum Christo Domino in agone prolixius orans; & tribulationem suam ante Deum pronuntians. vtilius enim, quam diu cuiusque anima in camino amoris diuini exurit, nihil agere poterit, quam vt diuinæ prouidentia subdita sit & Deum exoret. quia verò hæc, & similia inexpertis paradoxa videntur, experti autem sibi solis, & non alijs eiusmodi euenire, credunt; operæ pretium videtur exemplis hanc rem magis declarare,

De Admirabili priuatione Beata Angela de Fulginio.

ARTICVLVS QVINTVS.

Prauum est cor hominis, & inscrutabile, b quis cognoscat illud? ac si diceret ò pia anima, quæ per sanctum odium tuijpsius, vitiorum, & naturæ deprauatæ radices euellendas prosequeris constanti animo; scias velim, te hoc ipsum facere non posse, nisi tibi clarè, & vt dici solet, ad oculum ponatur proprij cordis prauitas, alioquin inscrutabilis, & consequenter incmendabilis. quis enim quod in se ignorat, & non credit vitium euellat? cum etiam illa, quæ sibi manifesta sunt, non latè confringat. vt ergò discas, & cognoscere, & intimè scrutari cor tuum, & indè exeuntes cogitationes, ac concupiscentias malas, audias quid beata Angela de Fulginio, in hoc statu contigisse legatur. [datus est mihi, inquit illa, multiplex & tentator, qui multiplici tentatione, & afflictione me affligat. affligor enim tam in corpore, & anima ab eisdem. corporis enim sunt tormenta innumera, à multis dæmonibus multipliciter excitata. vix enim credo, quod scribi possent passionēs, & infirmitates mei corporis. nam non remanet in me aliquod membrum, quin horribiliter patiat. nunquam enim sum sine dolore, sine languore, continuè sum debilis, & fragilis, plena dolore, sic quod continuè oportet me iacere. non est in me

a Vt inf. decif. 2. a. 7. b Jerem. 17. c In vita ipsius c. 19.

me membrum, quod non sit percussum, tortum, & pœnatum à dæmonibus, & semper sum infirma, & semper tumefacta, & plena doloribus in omnibus membris meis, sic quod cum magna pœna possum me mouere, & sum fatigata iacere, nec etiam comedere ad sufficientiam possum. Tormenta verò, & animæ passiones (quas sine comparatione acerbiores, & plures esse dico quam corporis) patior quasi assidue à ipsis dæmonibus, nec scio aliam assignare similitudinem, nisi de homine suspenso per gulam, qui ligatis manibus post tergum, & velatis oculis suspensus, cum fune remansisset in patibulo, & viueret, cui nullum auxilium, nullum remedium, vel fulcimentum remansisset, & dico, quod adhuc desperatiùs, & crudeliùs à dæmonibus torqueor. Video enim, quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod sicut suspensus non habet aliquid sustentamenti: ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum, & omnes virtutes animæ subuertuntur, sciente, & aspiciente anima mea. Et quando anima mea videt subverti omnes virtutes, & discedere, & quod non potest se ibi opponere, est tantus dolor animæ, quod vix aliquando possum plorare propter desperatum dolorem, & irā, aliquando verò ploro irremediabiliter. Aliquando etiam tāta ira venit in me quod vix me possū tenere, quin me totam dilaniem, aliquando verò nō possum me tenere, quin horribiliter me percuciam, & percuciendo me ip-

sam tumefeci aliquando caput meum, & alia membra. Et quando anima videt cadere, & discedere omnes virtutes, fit planctus animæ, & vociferor ad Deum meum. Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me reuixerunt, & aliquando reuiuiscunt: non quod sint in vita durabili rationem meam subijcientes: sed præbent mihi, & afferunt magnam pœnalitatem: & etiam vitia quæ nunquam fuerunt in meo corpore veniunt in me, & incenduntur, & afferunt mihi magnam pœnalitatem: sed non habent vitam continuam; & quando remoriuntur, dant mihi magnam consolationem.

Video enim quod dæmonibus multis tradita sum, qui reuiuiscere faciunt vitia, quæ horreo, & quæ fuerunt mortua, & addunt illa, quæ nunquam fuerunt. Et ego recordans quod Deus sic fuit afflictus, & despectus, & pauper, vellem, quando oportet, quod omnia mala mea duplicarentur. Et quandoque sum in tenebra horribilissima dæmonum, vbi videtur omninò deesse omnis spes boni, & est illa tenebra horribilis, & suscitantur vitia in corpore, quæ cognosco inius in anima esse mortua, sed extra animam suscitant ea dæmones, & etiam illa vitia, quæ non fuerunt, suscitantur. Et in corpore ad minus patior in tribus locis: primo in locis verecundis, &c. vt in textu. & tunc, cum sum in illa tenebra credo quod citiùs eligerem asfari, quam prædicta tunc pati: imò tunc clamo,

clamo, & aduoco mortem: ut per quemcunque modum mihi eam Deus concederet euenire: & tunc dico Deo: Domine, si me debes mittere ad infernum, ne differas, sed subito facias, & ex quo me dereliquisti, comple, & submerge me in profundum. Et intelligo tunc, quod id est opus demonum: & quod illa vitia non viuunt in anima, quia anima non consentit eis, sed corpus patitur violentiam. & est tantus dolor & tadium, quod si duraret, corpus pati id non posset, sed & anima videt, quod est ei ablata omnis potentia, quamuis non consentiat vitijs, non tamen habet potestatem omnino resistendi vitijs, & videt, quod est contra Deum, & sic cadit, & torquetur in eis. Et est quoddam vitium permissum à Deo venire in me, quod nunquam fuit in me, sed aperte, & manifestè cognosco, quod permittitur à Deo venire in me; & prædictum vitium est tam magnum, quod superat omnia alia vitia. & est quædam virtus quæ datur mihi manifestè à Deo cõtra prædictum vitium, qua virtuosè à Deo liberor. Etsi non haberem ego fidem de Deo certam, solum in isto, & non pro aliquo alio remaneret mihi: & in isto remaneret mihi spes certa, & secura, de quo non possum dubitare, & virtus præualet semper, & vitium deficit, & virtus tenet me, & non permittit me cadere in vitium, & est virtus tantæ fortitudinis, quod non solum tenet in me, imò dat mihi tantam fortitudinem virtutis, quod verè in isto cognosco Deum,

& illuminor, & confirmor in tantum; quod omnes homines mundi, nec omnia demonia inferni, nec alia aliqua res est, quæ possit me mouere ad minimum peccatum, & cum ista virtute remanet mihi fides de Deo; vitium autem est tam magnum, quod verecundor illud dicere, & est tam magnum istud vitium, quod quando prædicta virtus est mihi abscondita, & videtur mihi quod me dimiserit, non est res quæ me posset tenere, nec pro verecundia, nec pro pœna aliqua, quin statim ruerem in peccatum. Tunc tamen superuenit illa virtus, & virtuosè me liberat, ita quod nec ego ipsa possem peccare pro omnibus bonis, vel malis istius mundi: & istos labores sustinui per duos annos, & plus. Item in anima consuevit pugnare quædam humilitas, & quædam superbia tædij grandissimi. Humilitas est, qua video me cecidisse ab omni bono, & video me esse extra omnem virtutem, & extra omnem gratiam, & video in me tantam multitudinem peccatorum, & defectuum, quod non possum cogitare, quod Deus de cœtero velit mihi misereri, & video me domum diaboli, & operatricem, & credulam demoniorum, & video me filiam eorum; & video me extra omnem rectitudinem, & extra omnem veracitatem, & dignam infimo, & ultimo profundi inferni.

Et ista humilitas prædicta non est illa humilitas quam aliquando habeo quæ facit animam meam esse contemptam,

& fa-

& facit animam venire in cogitationem bonitatis diuinæ, quia alia prædicta humilitas non adducit nisi innumerabile malum. vnde intus in anima videtur mihi, quod sim tota circumdata dæmonibus, & video defectus in anima, & corpore, & est mihi clausus Deus, & absconditus in omni potestate, & gratia; ita quod in nullo modo possum recordari Dei, nec ipsius habere memoriam, quia nec ipse permittit, & videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione mea, quia plus curo, & plus doleo, quia offendi creatorem meum, quem nollem offendisse, nec offenderem pro omnibus bonis, & malis quæ possent nominari. vnde, & videndo offensiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis; & contra dæmones, vt possim vincere, & præualere contra prædicta vitia, & offensiones, & non possum per aliquem modum omnino; & etiam non inuenio aliquod vadum, nec aliquam fenestellam, nec aliquod omnino remedium, per quod possim euadere, vel me adiuuare, & perpendo quod ego cecidi ita profundè, vnde & humilitate frequenter sum inabyssata, & facit me videre peccata mea, & fui, per abundantiam maliciarum mearum, & iniquitatum, ita quod non video me posse manifestare, nec discoperire ea per aliquem modum, vt eas simulationes, & iniquitates meas, & peccata mea possem manifestare; & vellem ire nuda per ciuitates, & plateas, & vellem ad collum meum appendere carnes, & pi-

scēs dicens: hæc est illa mulier vilissima, plena malis, & simulatione, & seminatrix omnium vitiorum, & malorum: faciebam enim bona ad famam hominum, & faciebam dici omnibus qui inuitabant nos, non comedo pisces nec carnes, & ego eram plena gula, & commestratione, & ebriosa, & ostendebam quod nolebam recipere, nisi quantum sufficiebat mihi, & studebam esse pauper exterius, & vbi iacebam, proieciebam multos pannos, & de mane faciebam eos leuari, ne personæ venientes hoc perpendere: videte animæ meæ diabolum, & cordis mei malitiam: audiat quomodo sum hypocrita, & filia superbix, & quomodo sum deceptrix, & sum abominatio Dei, & ostendebam me esse filiam orationis, & ego eram filia ire, superbix, & filia diaboli: & ostendebam me habere Deum in anima, & consolationes diuinas in cella, & ego habebam diabolum in anima, & in cella. Et sciatis quod toto tempore vitæ meæ studui, quomodo habere possem famam sanctitatis: Et sciatis in veritate, quod propter malitias, & simulationes, quæ absconse sunt in corde meo, multas gentes decepi, & sum homicida multarum animarum, & animæ meæ. Et postea stando in ista abyssu, volebam me ad istos fratres meos, qui dicti sunt filij, & dicebam eis, nolite mihi de cætero credere, nonne videtis vos, quod sum dæmoniaca? vos qui dicti estis filij, rogate istam iustitiam Dei, vt exeant dæmonia de anima mea; & manifestent nequissima opera mea, vt non

amplius vituperetur Deus per me, & nonne videtis, quod omnia quæ vobis dixi, sunt falsa. Et nonne videtis, quod si non esset malitia in toto mundo, ego replerem totum mundum de abundantia malitiæ meæ? nolite mihi plus credere. Nolite plus adorare idolum istud: quia in isto idolo latet diabolus, & omnia quæ locuta sum vobis, fuerunt falsa verba, simulata, & diabolica. Rogate istam iustitiam Dei, ut cadat hoc idolum, & frangatur, & manifestentur opera diabolica eius, & mendacia, & verba inaurata, quæ dicebam, quia deaurabam me verbis diuinis, ut essem honorata, & odorata pro Deo. Rogate ut diaboli exeant de isto idolo, ut non plus decipiatur mundus per istam sceminam. vndè rogo filium Dei, quem nominare non audeo, quod si non manifestari me per semetipsum fecerit, quod faciat me manifestari per terram, ut aperiat & deglutiat me, ut facta in exemplum, dicant homines, & mulieres, ô quomodo erat deaurata, & tota simulata interiùs, & exteriùs. Et vellem mittere in collum meum vinculum, vel vnam chordam, & facere me trahi per ciuitates, & plateas, & pueri ducerent me, & dicerent. Hæc est illa vilissima mulier, quæ toto tempore vitæ suæ ostendit falsum pro vero, & homines dicerent ac mulieres. ô ecce miraculum quod fecit Deus, quia fecit per semetipsum manifestari, & dici malitias, & iniquitates, & peccata, quæ toto tempore vitæ suæ fuerunt absconsa.

Sed istud dicere parum sufficiebat animæ meæ: & sciatis, quod sum posita in vna desperatione, quam nunquam habui isto modo, quia omnino desperavi de Deo, & de omnibus bonis eius, & feci arrham inter me, & ipsum. Et idè sum certa, quod non est aliqua persona in mundo ita plena omni malitia, & damnanda, sicut ego sum: quia quidquid Deus mihi concessit, & dedit, ad maiorem meam desperationem, & damnationem permisit. Vndè rogo vos omnes, ut rogetis istam iustitiam Dei, ut non plus tardet extrahere dæmonium de isto idolo, & manifestentur nequissima opera, quæ intus sunt, quia caput meum diuiditur, corpus deficit, oculi mei caligauerunt propter multitudinem lachrymarum, & omnia membra mea disunguntur, quia non possum manifestare malitias meas, & mendacia animæ meæ, sed gaudeo quia iam incæpit aliquid manifestari, & omnia ista sine humilitate vera esse in veritate videbam: & scias, tu quod scripsisti, parum scripsisti in comparatione omnium malorum & iniquitatum, & abusionum mearum, quia quando eram paruula, incæpi operari mala: hæc, & his similia cogor dicere prædicta humilitate inabyssata & depressa. Postea incipit superbia, quia efficio tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima, & inflata: & aliam amaritudinem maximam recipio de bonis, quæ fecit mihi Deus, quia non recordor illorum ad aliquod reme-

reme-

remedium, sed ad iniuriam, & admirationem dolorosam. videlicet quomodo nunquam in me potuerit esse aliqua virtus, & dubito quod nunquam in me fuerit verax, & etiam non video aliquam rationem, quare Deus hoc permiserit. Et tunc in ista tentatione omne bonum est mihi clausum & absconditum, quia efficior in tantum tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima, & inflata, & pœnata, & dolorosa, plus quam possum dicere. quia si omnes sapientes de mundo, & omnes sancti paradisi loquerentur mihi omnes consolationes, ad consolandum me, & promitterent mihi omnia bona quæ dici possunt, & etiam ipse Deus daret mihi, nisi ipse aliter me mutaret, vel nisi aliter operaretur in anima, nullam consolationem mihi darent, nec aliquod remedium mihi afferrent, nec eis tunc crederem, imò omnia essent mihi ad augmentum dolorum, & malorum, & darent mihi maiorem iram, & admirationem, & tristitiam, & dolorem, plusquam possint dicere. vndè pro commutatione prædictorum tormentorum, & tentationum; & vt Deus auferret à me prædicta, ego libenter eligerem, & vellem omnia mala, & infirmitates omnes, & omnes dolores, qui fiunt in omnibus corporibus hominum, sustinere; & crederem, quod leuiores, & minora mala mihi essent, quam prædicta tormenta. Vndè pluries dixi, quod pro commutatione prædictorum tormentorum, ego eligerem omne genus

a Cap. 25. suæ vitæ.

martyrij sustinere. Et incepit iste prædictus status istorum tormentorum, & tentationum aliquanto tempore ante Pontificatum Papæ Cœlestini & durauit plusquam per duos annos, in quibus sæpè sum tormentata, adhuc non sum perfectè neque plenè curata, quamuis parum modo sentiam aliquando exterius, non tamen interiùs. sed modo postquam fui in isto statu, cognosco quod inter prædictam humilitatem malam, & prædictam superbiam, est maxima purgatio, & purificatio animæ. in his enim, & per illam, humilitatem veram acquirò, sine qua nullus homo saluatur. Et quantò maior est humilitas, tantò maior est purgatio animæ. Vndè cognosco, quod inter prædictam humilitatem, & superbiam comburitur, & martyrizatur anima mea. Et propter cognitionem offensionum, & defectuum, quam per prædictam humilitatem anima adipiscitur, anima purgatur à superbia, & à dæmonibus: & propterea quantò anima magis afflictà, & depauperata, & humiliata est inferius, tantò magis aptatur, & purgatur, & purificatur, vt magis eleuetur, quia nulla anima potest aliter nec plus eleuari, nisi quantum humiliatur, & profundius in humilitate complantatur, & radicatur.]

Nec minus in hac pressura constitutam animam solabitur, quod sanctæ Matri Theresiæ pariter desolatæ accidisse a legimus; quæ inter plura alia, [cum sola essem, inquit, nullum ami-

cum

cum habens, cuius alloquio me ipsam solaret, non poteram vel orare, vel in libro legere, sed ob tantam tribulationem, & timorem, ne fortè mihi cacodæmon illuderet, tota inquietam, & afflicta, planè nesciens quid tandem de me futurum esset (:& hanc quidem angustiam aliquoties, imò sæpè sensi, sed nunquam meo iudicio ita grauem, ac excessiuam, ac tunc:) quatuor aut quinque horas in hoc statu manebam, vt nec à terra mihi vllum, nec à cælo veniret solatium, aut affulgeret refrigerium; nisi quod Dominus me mille inter periculorum timores constitutam, pati cerneret. Quando verò insuper sequuntur ariditates, adeo quidem, vt nunquam Dei recordata esse, aut recordatura deinceps vnquam videatur, & quando de illius maiestate aliquem loquentem audit, perinde se habeat, ac si de aliquo, qui adhuc procul indè abest, aliquid dici audiret; nihil verò sunt hæc omnia, nisi insuper illud accedat, quod sese non satis confessarijs aperire, ac declarare, sed in errorem illos trahere, ac decipere putet: & quantumuis quo ad hoc seriò reflectat, & videat ne quidem motum primò primum, quem non ijs aperiat, & esto vt quæta sit ei dicatur, nihil tamen indè iuuatur. etenim ita oscuratus est intellectus, vt ad veritatem videndam potens non sit; sed ad credendum duntaxat, quod imaginatio ei repræsen-

tat, & suggerit; tum quippe hæc ipsa dominatur, nec non ineptia, quas ei diabolus repræsentare vult. Huic enim Dominus proculdubio facultatem concedit, ad eam probandum, eique persuadendum ipsam à Deo esse reprobam. Multa quippè sunt à quibus tunc impugnatur accedente tam sensibili atque intolerabili spiritus angustia, vt cui ei assimilari possit nesciam, nisi fortè in inferno damnatorum pœnis, & supplicijs: nullus enim hac tempestate durante consolationibus admittendis est locus. Denique si librum aliquem, esto vernacula lingua scriptum, ad legendum in manus acciperet, non magis illum intelligere poterit, quam si legere nesciret, eo quod intellectus ad hoc tunc minimè dispositus erit, sed planè ineptus. At quid tandem ager misera hæc anima, si quando ad multos dies in hac afflictione, & miseria agere oportebit? nam si horas recitet, perinde est, ac si non recitet (videlicet quantum ad ipsius solatium, ac leuamen faciat, quia ad id interiora eius non penetrat) nec quid recitet intelligitur, vti nec ipsa se, esto vocale sit quod recitat. nam vt mentalem instituat, tempus hoc opportunum, & conueniens non est, quod facultates animæ ad eam neutiquam dispositæ sint, porrò vt quis quod tunc patitur, verbis exprimat (vt verum fatear) est prorsus impossibile: sunt namque angustia, & pœnæ

spiritua-

spirituales, quæ quo dicantur nomine vix quisquam sciat.]

Vides ex his ô pia anima, quam prauum, & inscrutabile sit cor hominis; quodque nusquam melius, quam in hac tenebrarum potestate, intelligere possis abominationes cordis tui, & occulta illa impedimenta, quæ inter te, & Deum magnum chaos solebant interponere. & certè si multi [quamuis ad summam perfectionem profecerint, tamen stimulum a carnis suæ extinguere non potuerunt; sed diuina hoc dispensatione in eis actum est; quam quidem, quid vnicuique vtilius accidat, latere non potest. Et in alijs quidem fiebat ad demonstrationem singularis eorum fortitudinis, quia tales erant, qui semper pugnare assidue, & triumphare sufficerent: in alijs autem, ad custodiam humilitatis, quando singulare aliquod bonum, præ cæteris alijs omnibus acceperant.] vndè & Sanctus Hieronymus ait: [b] pallebant ora ieiunij, & mens desiderij æstuabat in frigido corpore; & ante hominem sua iam carne præmorta, sola libidinum incendia bulliebant.] & infra [memini me clamantem, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino imperante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam. Et mihi met iratus, & rigidus, solus deserta penetra- bam. sic vbi concaua vallium, aspera

montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserimæ carnis ergastulum, &c.] Tu ergò, ô pia anima, sancto odio tui ipsius inflammata, dum hæc ita perseverant, subdita esto Domino, & ora eum. si enim eiusmodi tentationes adusserunt sanctos, cauendum ne inflamment nos miseros peccatores. & cum non sit sensus c vbi est amaritudo, ita vt pia anima per operationes mentales suauiter Deo vniri nequeat: expedit cum [beata Catharina d Genuensi externis operibus charitatis occupari.] quod quidem in praxi vtilissimum fuerit, ne internis miserijs plus quam oportet, animus intendat: & his quidem insertis, consequenter videndum est vti sermo Dei efficax, Spiritus intima quæq; perscrutatur, & emundet.

Tota circumferentia seu omnes animæ potentie doloribus adimplentur, vsque ad mortis anxietatem.

ARTICVLVS SEXTVS.

A facie e Domini contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stella retraxerunt splendorem suum, & Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius, magnus enim dies Domini & terribilis valde: & quis sustinebit eum? Ac si diceret, ô pia anima, quæ gemitibus inenarrabilibus, tanquam proiecta à facie Domini,

X

a Rich. in Psal. 28. b In epist. ad Eusto. c Eccl. 21. d In vita ipsius c. 44. e Ioel. 2.

mini, absentiam eius contestaris; quod videlicet nec bonum agnoscere, aut agnitum complecti valeas, & egrediaris, & ingrediaris, sicut propemodum delirans amore, atque occulta ad Deum dependentia, & tendentia: scias velim hoc idè contingere, quod Dominus dederit contra te vocem suam, ante faciem exercitus sui, quando dixit sathanæ, & naturæ vitiatæ, ecce in manu tua est, qui me timet, & amat. & quia multa sunt castra eius, & fortia, idè tot, tamque inexcogitatis modis in temet ipsa discruciaris; idè mens, & consilium, & ratio fugit à te; idè ad mira, & varia impatientiæ signa, & gestus prorumpis, tanquam proprijs peccatis, & negligentijs hæc omnia causaueris. cum autem hæc dies Domini, & huius privationis, diuinæque absentiae dolor sit terribilis valdè, ac ita perseuerare videatur, vt nulla spes finis illius appareat: quis ò pia anima sustinebit?

Quis, inquam, sustinebit hunc ignem vrentem, cum non minor, sed maior sit calor amoris, quam febris? nec incongruè quis dixerit, eiusmodi passionem, & amoris languorem, febrem esse: sicut enim diu febrî æstuans, tandem amplius sustinere non valens, ad mortis terrores, & angustias declinat; ita prorsus ò pia anima, cum in tota circumferentia, & in omnibus potentijs, amoris doloribus sauciata fueris, ita, vt nec cogitationem piam, absque molestia suscipere, nec bonum opus absque notabili tædio, & auersione agere

valeas, hinc quidem per mortem, miseriarum tuarum finem imponi optares? indè vero, tanquam summè à Deo, eiusque amore elongata, mortem quam maxime times, nilque tantoperè diu noctuque cogitas, quam quod in malo, & pessimo statu, salus tua versaretur, si ita mori contingeret.

Quis ergò sustinebit? cum [vel ipsam gehennam & ad tempus experiri, vix horribilius, pœnaliusvè ducat pia anima, quam si à spiritualis studij gustata suauitate, & in diuinæ veritatis contemplatione experta dulcedine, impediatur.] præcipuè verò, quando è contrario, arido gustu concupiscentia vitiorum insolescit. vndè etiam videmus, quod si quis scelerum suorum profunda degustet, & promeritas inferni pœnas iusto Dei iudicio non differri sentiat: quod nulla spe misericordiae fretus, ante tempus in seipsum vltices manus extendat, præcipitio se collidat, laqueo, aut aquis se præfocet. quis ergò sustinebit, vt coletur & cribretur sicut aurum, & argentum purgatum septuplum? sustinebit certè ille solus utique, in quo fortis est vt mors, dilectio, dura, sicut infernus æmulatio. fortis, inquam, vt mors donum fortitudinis, quod in hoc agone pia anima, tanquam alius martyr, in severo tormentorum examine consequitur, vt sustineat, & patienter agat, in finem perseuerans; & quoad usque viuus sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingat

pertingat vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, ac discretor cogitationum, & intentionum cordis. dura autem sicut infernus æmulatio illa; qua Satanæ, & ex originali peccato vitiatæ naturæ insultus, piæ animæ dentes, morsusque infigunt: eo maximè tempore quo amici, & necessarij eius recesserunt ab ea, & nil solatij ab hominibus, aut pijs exercitijs, aut à Deo amicabile quidpiam percipere potest. tota ergò circumferentia spiritus, animæ, & corporis, per cuiuslibet potentia proprios dolores adimpleta; adhuc tamen uiuit in ipsa essentialis voluntas, & diuini amoris fortitudo, qua omnes hosce acuteos vulnerata suscipit, & sustinet; eo quod ibi plùs per centrum voluntatis amet, quam ubi amoris violenti ictibus languens animat, mortisque angustijs torquetur. atque ita Dominum Deum in tota tribulatione animæ suæ quærere, verè inuenire est. vt autem clariùs videatur, quo fundamento, pia anima in tantis pressuris nitatur, fructuoseque progrediatur consequenter dicendum erit,

In hoc agone dolores animæ blandimento compassionis; aut etiam amore diuinitus excitato mitigari.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quo abiit dilectus tuus, quo declinauit dilectus tuus, & quæremus a eum te

a Cant. 5. b Iob 6.

cum. Ac si diceret, ô pia anima, quæ in tribulatione murmuris dicis, sagittæ b Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me; en ecce nos omnes, qui scimus tuum dolorem esse vehementem, adsumus, vt solemur te, noli, obsecramus, nos consolatores onerosos reputare; sed narra magis, & dicas nobis, quo abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum. idè enim dicitur Petro, ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum, ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. sic & Saluatori nostro in agonia constituto apparuit Angelus de cælo confortans eum. sed inquis, dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis, & lilia colligat. vides ergò, ô pia anima, quod dilectus ex millibus non fugit, non te abiecit, non in longinquam regionem profectus est tanquam non amplius reuersurus; sed declinauit duntaxat, & infinitæ gloriæ, qua in semetipso semper pascitur, stillam à te retraxit, interea quod inter manus diuersarum tentationum probaris. sicut Pater filij sui amantissimus, dum vlcus illi à Chirurgis aperiendum est, & sanandum, aliò se confert, præ amoris magnitudine non sustinens filij dolores; quos, dum aduritur, dum secatur, dum ligatur, clamorosis gemitibus contestatur.

Ita ergò, ô pia anima, cuius capiti, &

X a

oculis

oculis datę sunt aquę, & fontes lachrymarum, plora die, ac nocte, eo quod sustulerint Dominum tuum, & nescias ubi posuerunt eum. si enim vsquam dolor, & angustia cordis, lachrymarum diluuium mitigatur, hoc vel maxime in pręsentiarum vsu venire solet; cum in hac pressura, ipsa sola nudate tolerantia duntaxat, vitę mysticę respiraculum (ne tanquam scintilla ex toto extingatur) pręseruare solet. & licet [lachrymę huiuscemodi in modico cor refocillent, & reficiant; sunt tamen vtilis a eo tempore, ad conseruandam valetudinem corporalem; & vt facilius amor impatiens sustineri possit, & naturę sanitas conseruari.] nam per [fletum, b & gemitum animi intentio, quę est circa malum, ad exteriora diffunditur, fletus quoque, & gemitus dolorem, & tristitiam naturaliter minuunt.] & ided etiam piissimus Dominus, vt prudens medicus; qui circumferentiam quidem, & omnes corporis vires inordinato calore febris absumptas conspicit, cordis verò integras vires adhuc superstites, bono iubet esse animo; solumque infirmo prohibet quod noxium est. Quapropter, o pia anima, interea dum in hac angustia, & tribulatione murmuris doctrinam Domini suscipis, & spiritum salutis parturis; tanquam vox turturis, sonet in auribus dilecti, ego dilecto meo, ac si diceres; cum indigna sim, quę suauis eius fruar pręsentia; ego tamen illius ero, & nullum

alium amatorem admittam; & dum illius amore me carere oportet, aliam etiam consolationem non feram, quę ad illum non referatur. Vos ergo, amantissimi Domini, & confodales, fultite me floribus, blandimento scilicet compassionis; stipate me malis, piissimarum orationum vestrarum, quo ita, vel minimo diuinitatis odore confortata, omne malum quod Domino placuerit super me inducere, sustineam patienter; & interea, dum omnem escam spirituales, & piarum exercitationum abominatur anima mea, ita vt nihil boni operis absque tædio aliquo peragere valeam: sit mihi misericordia eius super vitas meę consolationis; sit, inquam, spiritus meus contribulatus, sacrificium Deo Optimo Maximo, qui bonorum meorum non indiget, in se semper æquę beatus subsistens.

Iam verò, quando hęc, similiauẽ ex humili corde procedunt; solet quandoque, qui posuit tenebras latibulum suum, & stat post parietem harum afflictionum, respicere per fenestras, & prospicere per cancellos, dum ad instar solis, qui prius erat in nubilo, per lumen infusum; actus dilectionis excitat, & ex certamine debilem animã in spiritu roborat; ad modicum tamen, sicut sol quando nubibus circumuallatus quandoq; splendore suo, & calore recreat, facilẽ autem aliqua nube conuictus, tenebras denuo relinquit; pro vt etiam strenuus miles modico

tempore

a Harph l. 2. p. 3. c. 44. b S. Thom. 1. 2. q. 38. a. 3. 6.

tempore cibo potuque confortatur, ac toto postmodum die, noctuque in pugna, ignis, & ferri vulnera, doloresque sustinet. quo etiam respicere videtur Iob dicens; cum *a* audierit me, non credo quod exaudierit vocem meam. quasi enim coadstat, tanquam aquæ inundantes, rugitus consuetæ desolationis, ita vt si in solatio figere vellet pedem; non tamen hoc ipsum adhuc liceret, quando quidem diuinitus immissa consolatio, hoc loco non nisi ad tempus confortandi gratia, concedatur. & quum itineris molestia tantò leuius feratur, quantò securior quis redditur, se in via non aberrare, consequenter dicemus,

De signis, quibus assuretur mysticus se in hac vera, & non naturali priuatione constitutum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

His b fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. ac si diceret, o pia anima, quis est c iste, vt fieret Domino non iubente, vtque dubiosa hæsitacione contristetur, num ea quæ hucusque in amore deficiente contigerunt, ex spiritali profectu; an potius ex proprijs defectibus, & negligentijs, procedant; Deo placeant, vel displiceant magis? sciendum ergò; duo esse potissimum signa euidencia quo-

dammodò ad habendam securitatem, num quis in hac vera, de qua hic loquimur, & non naturali, ac immortalificata e priuatione constitutus sit. & primum quidem est, si quis aliquot annis, licet non nisi tribus fortè, vel quatuor in vita interiori se se exercendo, satis benè recollectioni, & contemplationi vacasset; siue hoc amorosè, & cum sensibili deuotione, siue aride; at tamen comite animosò proposito, resignatione, & quadam transcendentia amicabile interioritatis, contigerit: postmodum verò in modo interius agendi, animaduertat sese paulatim deficere, & tam interna quam externa exercitia mortificationis, & orationis mentalis, non amplius solita facilitate, pace, & recollectione peragere posse: licet secundum desiderium, & bonam voluntatem, ad mortificationes, & virtutes, ac etiam ad interiora sua, maiorem quam vnquam alias, sentiat inclinationem. pro quorum maiori securitate, ad praxin facit adducere, quod Harpius de hoc proposito sentit [quibusdam, inquit, ad tramitem f vitæ perfectioris primitus aspirantibus, aut etiam, in initio suæ conuersionis, sicut Apostolo Paulo, ad tertium cælum raptò, concessum est benignitate largitoris, huiusmodi tamen (vt frequenter) post adeptam tantam diuinæ celsitudinis consolationem, postmodum indicibilibus angustijs, & tentationibus etiam execrandis,

X 3

& prel-

a Iob c. 9. b Luc. 21. c Thren. 3. d Plura apud B. Io. de cruce de obs. noct. l. 1. c. 9. & 12. e 1. p. dec. 5. n. 9. f lib. 3. p. 4. c. 26.

& pressuris spiritualibus, vel corporalibus probare crebrius, & examinare Deus assolet, sicut examinatur argentum, prout oculata fide in plerisque conspexi. Quorum mirabilem divinæ clementiæ prælibatam gratiam agnoscens, tantis pressuris postmodum frequenter agitari vidi: quod nec ore exprimi, nec inexpertis (vt puto) vera credulitas ingeri possit. nam, & Augustinus, & Bernardus illorum pressuram infernali pœnalitati non inconuenienter assimilare conati sunt. in cuius etiam argumentum de Paulo in primordio conuersionis, tam feliciter raptus, eodem tempore, Dominus ait. Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.]

Tam admirabilis porrò vicissitudinis internæ, fundamentalis ratio, in eo consideratur, quod in initio [actus naturalis, *a* & supernaturalis dilectionis sint similes,] & sapido gustu quæuis amorosa deglutiantur, vt optima, & purè spiritualia quæque. cum autem in progressu delicatiorem mysticus consequitur diuinum gustum; in tantum priores status, fruitiones, & quidquid demum amicitiae cœlestis vnquam susceperat. indicibili auersione, & tædio sordent, vt multò leuiùs ferat, quidquid in interiori suo amarulentiae degustandum adhæret, quam vt illa priora, vel cogitare, vel sibi optare velit. modicum enim illud, per quod in spiritu purè, de supremo consortio altissimi, vigilias agit; incomparabiliter

plus luminis, & veritatis, quam omnia præterita continet. quia verò illud quo in purè spiritu viuit, & alitur, valde modicum est, non potest in inferiores vires, & sensibilem hominem fortiter influere; atque ita necessariò tota hominis circumferentia, eiusque appetitus variè alliciuntur, aggrauantur, angustiantur, & comprimuntur.

Secundum verò signum est, quando gemitibus inenarrabilibus conqueritur, se, vel peccatorum præteritorum grauitate, vel negligentijs, aut se se varijs accommodandi modis ignorantia, eiusmodi amoris priuationem, causasse; maximeque dolet se vnquam mysticæ vitæ initia dedisse; frustra tamen cupiens ab illa recedere, in vinculis charitatis iam constricta, & dono *b* fortitudinis in spiritu roborata; ita vt, licet secundum naturæ inclinationem mallet communiter, vt alij, sui iuris esse, & moraliter benè viuere: attamen secundum illam fortissimam, & intimam ad Deum tendentiam, institutum cupiat prosequi. ex qua quidem repugnantia prouenit, vt nec ab amantissimo alioqui spirituali magistro, sibi persuaderi permittat hunc amoris defectum non tam ex similibus causis, quam ex necessaria amoris depuratione prouenire. sicuti ergò necessarium est circa primum, vt scilicet in Deum amor, qui valde impurus adhuc est, & ita ad diuina, sicut ad alia quæuis creata, cum sensibili, & humano agendi modo ferri consuevit,

corri.

a S. Bonati. 4. distinct. at. D. 4. *b* Vt inf. Dec. 2. n. 9.

corrigatur; ita etiam circa secundum hoc, oportet, ut in turbine te conerit, & multiplicet vulnera tua etiam sine causa; nec sinat conquiescere spiritum tuum, & impleat te amaritudinibus; licet tota vita, etiam usque ad virilem, & maturam ætatem producta, nullum graue peccatum, scienter, & voluntariè commisisses.

Sed non tam in eo cardo rei versatur, ut quis sciat amorem illum, qui in principio aliquot annis perseuerat, & ingens esse videtur, in spiritualem amorem redigendum esse; aut quod etiam nullius quidem grauioris culpæ, sed ex humana fragilitate, subindè leuioris duntaxat negligentia defectus incurrisse, videat: quam, ut humili resignatione, sollicita custodia sensuum, & passionum, ac etiam filiali amore, reuerentia, & confidentia se, suaque in tempore, & æternitate Deo committat: eiusque directioni amplius, quam propria in bono operando, &

proficiendo existimationi se credat. Cum ergò non sit, qui se abscondat à calore eius, & omnes qui per dona habituum supernaturalium, ad status perfectioris amoris deducuntur, in hac amoris deficientia concurrant; a quolibet pia anima in eiusmodi alteratione, bono sit animo, sciens quod appropinquet redemptio eius, quodque in proximo sit, quod à Deo curetur: nec quidquam ex eo dubij admittat, quod videat commilitonem aliquem non tam graui, ut ipsa, pressura, & anxietate in tentatione probari: cum vnus magis b minusuè intensè, pro naturæ, conditionis, & gratiæ diuinæ inæqualitate, de calice Domini bibat. Interea verò, cum à supradictis passionibus quodammodo respirare, & in intimo spiritus essentiali aliquam resignationem subodorari cœperit, ad ea quæ in fine priuationis, transeundum erit.

a Inf. Der. 2. 4. b Ibid. 4. 7.

ET

DE IIS QUÆ FIUNT IN FINE
PRIVATIONISPER AMOREM CONSTANTEM VTRIVSQUE
POTENTIÆ, VOLUNTATIS SCILICET,
& intellectus.

PARAPHRASIS QUARTA.

CUM expleuerit in me a voluntatem suam; & alia multa similia preestisunt &c. ac si diceret, plane dignum est, ut ego in omni afflictione mea, ad Deum ita me paratam, & morigeram præbeam, sicut omnes aliæ creaturæ ad nutum ipsi obediunt. vnde psalmista ait; ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: ac si diceret, licet magna sit proprii amoris, & commodi cupiditas; quia tamen ut iumentum, ad metum ducentis vado, & redeo; hinc semper tuo beneplacito adsto. Quod uti hoc loco, perfectè fiat in potentijs superioribus, & spiritualibus, iam dicendum est,

- I. Quod propria operatio, quamdiu mysticus in fine priuationis versatur, sit omnium Virium in diuinam Voluntatem colligatio.
- II. Quod potentia superiores essentiali resignatione diuina prouidentia subijciantur.
- III. Quod dein totum compositum hominis colliquecat in vnum, cum diuina voluntate.
- IV. Priuatio hac rigida, est essentialis imitatio Passionis Domini nostri Iesu Christi.
- V. Virtutis actus deinceps essentiali modo exerceri.
- VI. De spiritali profectu, duratione, & transitu à priuationis ad Vnionis statum.

ARTI-

a Iob. 23. Vide Ioan. à Cruc. de obscur. noct. & Barbans. de occult. sem. 2. p. c. 10. 11. ad praxin. utiliter, & alij ut inf. decis. 2.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu mysticus in sine priuationis versatur, sit omnium virtutum in diuinam voluntatem colligatio.

Domine in a voluntate tua prestitisti decori meo virtutem. ac si diceret; ô pia anima, licet in amore, hucusque acquisito, tanquam aurora consurrexeris, & vestimenta tua, spiritus scilicet, & animæ potentias amorosis, & resignationis actibus; ceu martyrum sanguine conspergas, rubro colore exornaueris; scire tamen debes, quod illa ad Deum dilectio, ac bona ad omnia actio, nondum habeat virtutem in semetipsa manentem, neque radicem, ex qua vt innata virtute, amor ille vitam suscipiat: quousque ipsa sola, ac nuda voluntas diuina, eiusque de te omnimoda dispositio tam viuaciter tibi placeat, & ad omnia pia exercitia te commoueat, vitaliterque afficiat; vti prius maximæ spiritus, & animæ consolationes, spiritualesque gustus facere solebant, quantumcunque illi magni, & sublimes fuerint. & hinc ait Psalmista: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, ac si diceret: quando eousque in spiritali progressu perueni, vt omnia de manu Domini, eiusque gratissima voluntate toto corde, & pleno animo susceperem, quantumcunque amara, & naturæ contraria essent, rum decori, amori, & rectæ intentioni

meæ dedisti virtutem, ceu radicem, & dispositionem producendi fructus veræ, & realiter permanentis amicitiaæ tuæ, quæ ad vsum, & actus exercitium mihi innasceretur. sicut granum frumenti, in se quidem pulchrum est, bonum, ac vtile; verumtamen vt radicem accipiat, & virtutem germinandi, prius moriatur oportet, & alteri conditioni, & vt ita dicam, voluntati subijciatur, à se deficiat, & propria natura subtilizata, in seipso animam vegetabilem, & vitam quandam consequatur. atque ideo [tandem b licet non absque graui labore, & difficultate totos se resignant, & omnia sufferunt patienter, donec Deo placeat mutare. Vident enim nihil posse se amplius. sic itaque docet eos Deus resignationem sui, subiectionemque; vt videlicet ita se sub Deo relinquunt, exeantque in omnibus. iamque illis prioribus gratia affluentibus fiunt similes, & quodammodo longè nobiliores, excellentioresque; cum hic gradus multò sit Christo conformior, cuius, omnis vita passionibus abundauit. Isti martyres spirituales pro ipsorum iudicio omnium pauperrimi, sed coram Deo locupletissimi sunt. sunt etiam, vt ipsis videtur, omnium à Deo remotissimi, sed reuera proximi sunt. sic, & omnium se credunt coram Deo abiectissimos esse, cum sint electissimi. omnium denique se Deo infidelissimos sentiunt, cum tamen fidelissimi, ac strenuissimi sint ad illius promouendum honorem, contemptumque præpediendum, ob quæ,

Y

& pa-

a Psal. 29. b Taul. serm. 1. in fest. SS. Mart.

& patiuntur hæc omnia. Varijs quoque tentationibus, ob hanc spiritus paupertatem, se sentiunt impugnari, quæ licet ipsa quoque morte grauioribus ipsos doloribus excrucient, maximè quando pro ipsorum iudicio non nihil ab his superantur, omninò tamen consensum præbere recusant.]

Et certè in hoc cardo rei versatur, nec quidquam magis principaliter in toto amoris deficientis, seu priuationis statu intendit benignissimus Deus, quam vt solus, purè, & integrè sit, qui in exercitio mystico, & vsu consortij diuinæ naturæ, secundum omnes animæ vires spectetur, magisq; eius grâtissima voluntas in omni momentanea actione consideretur, quam sensibilis deuotio. & hoc quidem non ex actibus resignationis tantum, aut humili in Dei beneplacitum subiectione; sed vt totus appetitus, & naturæ inclinatio rationis iudicio libenter, & quietè obediant, in habendo, non habendo in tempore, & æternitate. id quod hoc loco, & sine priuationis, integrè contingit in potentijs superioribus, intellectus scilicet & voluntatis. sicut in medio fiebat, in animæ varijs affectibus, & passionibus; quibus in tantum exagitata fuit, vt quasi callum, & duritiem ad omnem sensualitatem inordinatam contraxerit: & sancto odio sui ipsius tam perfectè imbuta, vt in futuris mysticis vnionibus nil inordinatum, aut vt suum commodum possidere velit, & ægrè admodum possit. & quia valdè multum, & arduum est, relin-

quere non tantum quod quis habet; sed etiam quod est; ideo tantæ molis esse solet, antequam amoris depuratio perfectè cursum suum absoluat, & in diuinam voluntatem colliquecat. vnde etiam Saluator noster, cum perfectissimè voluntatem suam Patri æterno passionis suæ tempore subijceret, cum spiritus gustu, & desiderio tam acerbam passionem incæpit, & prolixius in agonia orauit: licet præ naturali horrore sanguineas guttas sudaret. & certè huic exemplari quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere. sed hæc iam penitiùs declaranda erunt, & dicendum

Quod potentia superiores essentiali resignatione, diuina prouidentia subijciantur.

ARTICVLVS SECUNDVS.

Sicut tenebra eius a ita & lumen eius:
Sic si diceret; ô pia anima, licet intellectui proprium sit, vt versetur circa lumen veritatis, illudque quàm maximè cupiat apprehendere, vt pote bonum sibi proportionatum; quo ita consequenter, voluntas bonum cognitum apprehendat, constringat, & oblectando ei inhæreat; nihilominus scire debes, quod modus ille cognoscendi Deum, qui per negationem fit, longè aliter procedat; quandoquidem Deus posuerit tenebras latibulum suum, in quo etiam melius ignoratione quæritur, inuenitur & laudatur.

datur, quam scientia, & notitia. & hic ille est modus, per quem tot tenebras, ariditates, & tædia spiritus tandem inuenire oportet; vt scilicet sicut tenebræ eius, ita & sit lumen eius, ac ita omninò indifferens, & benè contenta sit pia anima ex intimis visceribus cordis, in cæcitate mentis, sicut prius in quauis, etiam summa spiritus illustratione; & idè pariter ipsa voluntas humili resignatione tolerare debet, quod duce tuo ordinario, scilicet intellectu, & lumine oculorum suorum careat. vnde quemadmodum ille, qui prius clarè videbat, dein aliquot annis cæcus si fiat, ductore vtatur oportet; ac alièno lumine, ac visu adiutus ambulet, & pertingat quo ipsi eundum est. ita planè oportet, vt & pia anima lumine intellectuali destituta faciat, iuxta illud: Domine in lumine tuo videbimus lumen. in lumine tuo, inquit; ac si diceret, in altiori aliqua veritate, & directione, ac diuina prudentia cognoscere debeo, quid mihi vtile sit, tutum ac rectum; quamuis susq; deque aspera calcanda sint, vt plana.

Et certè quoadusque anima in superioribus potentijs intellectus, & voluntatis, essentiali quadam, seu matura, & non coacta; sed naturali quodammodo resignatione, sese Deo in omni ariditate, & spiritus cæcitate subiiciat; tam diu adhuc à propria sui ipsius quæstione, intentione, & inordinato amore expiari debet. vnde sicut qui excæcatus est, si memor visus oculorum suorum impatienter cæcitatem suam ferat, & vt prius obambulare velit, nihil certiùs,

quam quod hinc indè allidat, & præceps cadat; nec vilo modo, aut tutus in ambulando, aut quietus in corde possit esse, nisi in quantum pacifica tolerantia sustinuerit, quod cæcus sit, & modestè ductorem fidelem insequitur. pari ergò modo tandem aliquando mystico contingat oportet, vt scilicet sicut sunt tenebræ eius, ita & sit lumen eius. ac si diceret, ô Deus meus, qui es lumen oculorum meorum, ita benè contentus sum cum tenebris, & cæca interioritate mea, sicuti aliàs in lumine tuo, quando videbar in cælum posuisse nidum meum. tu ergò castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuenculus indomitus; confusus sum, & erubui non ferens opprobrium adolescentiæ meæ; maximèque doleo, quod non dimissiori animo, & corde magis quieto, sustinuerim omne malum quod induxisti super me. quini mò summoperè in me confundor, quod tanta in me fuerit immortificatio, & impatientia, idque eo amplius, quod nonnihil animaduertere incipiam, quod tu, ô Lumen æternum, facias de tenebris lumen splendescere, & des intelligere meliùs esse in desolatione, & tribulatione murmuris, doctrinam timoris, & reuerentiæ tuæ addiscere, quam vanè altum sapere. eo etiam fortè sensu dictum est, in iudicium ego in hunc mundum veni, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant, vtque ex decreto diuini consilij, nemo nouum hoc nomen, & interni profectus dulcissimum tui gustum

percipiat, cuius anima non prius omnem escam abominata fuerit, & quidquid te summum Bonum non purè sapit, in nauseam conuerterit: non quidem intenso cruciatu dolens, ut prius; sed magis lachrymosa distillatione contestans, quia ille est, qui electus ex milibus adherere fecit animam suam post ipsum. & certè, nec omnia ista adhuc ad perfectam dispositionem modi operandi supernaturaliter sufficere, ex sequentibus constabit: unde dicimus;

*Quod dein totum compositum hominis
colliquefcac in vnum, cum diuina
voluntate.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Adhuc vnum a modicum est, & ego commouebo cælum, & terram & mare, & aridam. ac si diceret: o pia anima, sicut ad depurationem amoris necessarium est, ut à summo status contemplationis descenderes, vsque ad inferiora quæque, & præhabitis fruitionibus destituereris; ac in medio priuationis, susque, deque agitareris varijs animi passionibus, quousque in te reuelarentur fundamenta orbis terrarum, & omnes abominationes cordis tui tibi clarè paterent. ita tandem iam in fine, cælum intellectualis viuacitatis, & terra amicabilis voluntatis, pro vltimo quoque depurari debent: quousque simul mare, & arida, ac omnes potentia in vnum colliquefcant, confluantque in

pulchram imaginem, & Deo dignam habitationem; nihilque amplius adster, quod supernaturalis amoris vnionem præpediat. cum ergò hoc loco expleuerit inte omnem voluntatem suam omnipotens, qui conturbauit te; ipse quoque emolliet cor tuum, & auferens cor lapideum, dabit cor carneum. nunquid enim in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem obliuiscetur misereri Deus, aut in ira sua continebit misericordias suas? haudquaquam profecto, hinc enim sponsa Christi dicit; anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est; ac si diceret: statim, ut locutus est, qui prius scilicet in tam pænosa sui absentia, & durissimæ luctæ tolerantia sese absconderat, ita, ut in tenebris spiritus mei, & mystico progressu perijsse viderer; statim, inquam, ut locutus est, molliuit cor meum omnipotens, qui conturbauit me; & cognoui verè, quod nihil sit mundum in conspectu eius, quodque nihil coinquinatum possit intrare in regnum cælorum, nec eius familiarî consortio frui in terra; nisi prius transierit per ignem & aquam, ut argentum purgatum septuplum, & aurum in camino tentationis. Quis igitur mihi det ut veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi Deus, & qui cepit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti; sed in toto me, & in omnibus animæ visibus

a Agg. 2. b Job 6.

viribus sit mihi pro ipsa beata vita, voluntas eius; in quam etiam toto composito meo cum spiritu, anima, & corpore resolui exopto; & tanquam aurum in igne liquefactum, in imaginem illius qui creauit me, colliquefcere, & reformari toto corde desidero. & cum ipse solus sit, & nemo possit euertere cogitationem eius, & anima eius, quodcumque voluit, hoc faciat; ego quoque ad nutum voluntatis eius, quam viuacissimè in me sentio, in nidulo meo moriar, à duritia cordis mei, tanquam cera ad beneplacitum ignis diffuens; ac sicut palma multiplicabo dies, quæ omnes temporum iniurias, caloris scilicet, & frigoris, glaciæ, niuis, pluuia, ventorum, & quarumlibet tempestatum, videntibus, & quasi ridentibus folijs, æquali integritate, & constantia sustinet.

Et iure meritò quidem, ô pia anima, tibi est vita in voluntate eius, cum ita Deus molliuerit cor tuum, vt tandem aliquando post tot querimonias, retractiones, & anxietates, nihil vsque adeò in nunc præsentem ita placeat, te foueat, & soletur, quam vt Deus in te expleat omnem voluntatem suam. sicut autem artifex, liquefactis metallis formam quamcumque voluerit, imprimit; sic anima in illo statu, ad omnem diuinæ voluntatis nutum, se facillè applicat: imò spontaneo quodam desiderio, ad omnem eius arbitrium seipsam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat, vt obediat cum Christo vsq; ad mortem;

integra harmonia rotius compositi humani, benignè consentiente. quam autem perfectè pia anima in hoc statu Christum Dominum sequatur, iam consequenter dicemus,

Prinatio hæc rigida est essentialis imitatio passionis Domini nostri Iesu Christi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Recogitate eum a qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes. ac si diceret, ô pia anima, licet omnia quæcumque facis in verbo, & opere, omnia in nomine Domini nostri Christi facias, gratias agens Deo per ipsum; ita vt in omnibus actionibus semper habeas præfixam bonam, ac rectam intentionem, per hoc quod magis, & principalius Dei honorem, & laudem, quam proprium commodum, vel solatium intendas; nihilominus obserues velim, eiusmodi intentionem directè ad incipientes, quique non totis viribus, sed aliquo sui Deum respiciunt, pertinere. iam verò cum amoris deficientia diu perseueret, magisq; indies acceuerit, ita vt tandem in ipsum mare doloris, anxietatis, & tristitiæ proiecta videaris; ne fortè tonitruo magnitudinis Eius suppressa, & in merito inanis, & in patientiando pusillanimitatis reddaris: oportet vt toto desiderio, tota mente, tota voluntate, totoque corde recogites, compa-

patiatis, & consentias dolores, & acerbissimam passionem eius, qui talem, ac tantam, à peccatis tuis, aduersum semetipsum sustinuit contradictionem aduersum semetipsum, inquit, ac si diceret, omnia quæcunque Saluator noster passus est, ita in seipsum attraxit, vt non aliqua parte sui pateretur; sed toto se, in seipsum trahens, & quasi in ipsam passionem conuerti desiderans. ita ergo etiam agas oportet, huncque patiendi modum assumes; quo non sicut prius meditatione, notitia, vel compassionis aliquo affectu, passionis Domini nostri Iesu Christi, aliquem gustum doloris accipiebas, sed toto tuo esse, habere, & sentire omnem desolationis tristitiam; non tam vt tuam; sed vt Christi in te patientis cruciatus accipias, stringas, possideasque, & vt tibi essentielles, & in te permanentes libenter, promptè & reuerenti tolerantia sustineas: tanquam quæ ipsi Saluatori suos dolores cupias lenire, & in te conuerrere; quo ita nihil contristet, quidquid in tam pænosa diuini amoris carentia, toto hoc priuationis statu, contingere solet. Vnde etiam ait, vt ne fatigemini animis veltris deficientes; ac si diceret, licet quidem spiritus promptus sit; quia tamen caro infirma est, præsertim in tam rigido, & diu perseverante amoris diuini examine; hinc super omnia recogitare debes eum, qui talem sustinuit pro peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem. quo ita tui dolores, non soli, sed doloribus

Christi conditi, & vnitè, sacratiores fiant, si, vt illius cruciatus, gustentur, tolerantur, & ab ipso, & cum ipso circumferantur. qui modus cum non sit, secundum aliquam meditationem, vel aliquam partem tolerantia, sed secundum totum suum esse, habere, sentire, compati, intelligere, operari, & viuere, rectè essentialis, & perfectissimus modus imitandi passionem Christi Domini constituitur.

Hicce porrò, vera cordis interioritate, & susceptis, & in eis vnum cū Christo factis, dicere licet. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus; scilicet per suam acerbissimam passionem, & à patre æterno derelictionem: per quam sicut socij sumus compassionis, ita & erimus socij gloria, cuius Christus quidem in hac vita, ab instanti conceptionis comprehensor fuit: mysticus autem post tribulationem dierum istarum, ad vsum, & fruitionem futuræ vniõnis; & confortij diuinæ naturæ, pro vt ratio, & conditio viatoris, ac dum peregrinamur à Domino, admittit, particeps erit. quæ quidem gratia, cum maximè ad vitam æternam benè afficiencia sua deducat, alliciatq; meritò sacratissimam Saluatoris nostri meditationem vtilissimam, & ab ijs, quibus res pro anima est, cum primis feruenter practicandam esse; dictum est supra.
quam verò perfecta in virtute hic fiat radicatio, ampliùs exsequentibus constabit.

Viv.

Virtutis actus, deinceps essentiali modo exerceri.

ARTICVLVS QVINTVS.

Christo confixus sum cruci, viuo autem iam non a ego, vivit verò in me Christus. ac si diceret, ô pia anima, non amplius sicuti prius in statibus incipientium, aut proficientium per explicitum propositum, & cum quadam difficultate actus mortificationis, & virtutis exercendi sunt. hic enim modus, cum modico augmento veri, & solidi amoris vestitus sit, frequenter laboriosus est, & à fideli praxi, atq; executione boni propositi sæpè deficit. cum autem in profundo iam præteritæ priuationis magna fuerit velut mare contritio tua, ita vt quodammodo insensibilis reddita sis, & ad patiendum pro consuetudine exercitatos habeas sensus; oportet vt deinceps, ac præsertim quando gratia *b* modi operandi supernaturaliter à Deo dignata fueris, omnes mortificationis, & virtutis actus essentiali modo, id est, ex habitu, prompte & facilè peragantur; & quasi naturaliter, ex communicatione passionis Christi Domini profluant. idèd enim dicitur, Christo confixus sum cruci; id est, tanquam vnum effectus Christo patienti, cum gaudio sustineo quidque in corpore doloris, & in anima inordinati affectus molestiam intulerit; Deo ita disponente, siue ad abstergenda peccata, & hu-

manæ fragilitatis defectus, siue ad meritum; vt si compassi fuerimus, etiam socij gloriæ fiamus.

Atque tum demum, & post tot dilectionis purgationes, amor Spiritus Sancti vigorem suum diffundit in omnes animæ vires, & est origo omnium virtutum: vt scilicet facilè, & promptè sequaris instinctum rectæ rationis, ad quietam subordinationem passionum: & ex essentialiter recta animi affectione (vt potè gratia sancta) exerceas [in virtute, *c* scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis, charitatem.] atque ita pia anima non tam in se, quam Christus in ipsa vivet. [Debet *d* ergò quisque filius Dei virtutum exercitijs insistere. cum verò virtutes ei in habitum versæ fuerint, ab earum exercitio liber erit. Tunc enim eas ablq; labore perficiet. Quum autem virtutes sine labore, & dolore operatur, iam earum exercitia transcendit. Attamen ab operibus virtutum, donec anima à corpore separetur, nullus absolui potest, nisi anima illius supra seipsam raperetur, & Deus in ipsa agentis, expleret vicem in hoc tempore.] de quo hoc, vt congruentiori loco, semel pro semper monere volumus piam animam; quatenus scilicet formiter obseruet hunc modum, quem in virtutis, & mortificationis exercitio toto tempore vitæ obseruare

habet:

a Gal. 2. b vt inf. Dec. 2. n 10. c 2. pet. 1. d Taul. serm. 4. in natiu. Dom. circa med.

habet: neutē arbitretur, ex eo quod in posterum non amplius virtutis exercitia directē vrgemus; illorum nullam quoque curam habendam esse. quod omninō à vero, & arcano diuini amoris studio ita alienum est, vt potius omne id quod virtutis perfectio requirit, tanquam fructus bonæ arboris, vltro sit proferendum, quam laboriosè, aut cum tristitia extorquendum. ac tum verè in praxi, inferior homo non amplius animalis; sed rationalis, & instinctui spiritus sancti promptè obediens, dici potest. cum autem ordinariè, toto statu priuationis durante, videatur mysticus non proficere; sed deficere, consequenter dicendum venit, quousque perfectionis spiritualis lineam extenderit.

De spirituali profectu, duratione, & transitu à priuationis ad vniōnis statum.

ARTICVLVS SEXTVS.

Sapientia vbi inuenitur, a & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. abyssus dicit non est in me: & mare loquitur, non est meum. Vndè ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli later; perditio, & mors dixerunt, auribus nostris audiimus famam eius. Ac si diceret, ô pia anima; ne reputes rem paruum esse, sapientiæ, seu sapidæ scien-

tia, & intelligentiæ locum, ac vbi sapida scientia ordinatè possideatur, inuenire, idè enim nescit homo pretium eius, nec ingenti pecuniæ vi, emi potest; nec etiam inuenitur in terra suauiter viuentium; & creaturarum solatium (licet graui peccato non obnoxium) cum intima cordis delectatione admittentium. hinc & abyssus, seu fundus, ad quem, vt ad primum principium dilectionis diuinæ, generali, & tali quali modo fit recursus, & inhæsiō mordax, dicit, non est in me, & mare operationum internarum loquitur, non est in me; propter maximam inquietudinem intellectus varias impertinentias representantis. vt vel idè alia atque alia operatio, ad præsens propria inquirenda sit. Vndè ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? vt scilicet, pia anima in abyssō diuinæ sapientiæ magis magisque radicaretur, & congruè, ac ordinatè in mari operationum multarum laboret. Verè tam ordinata sapientia abscondita est ab oculis omnium alioqui piè viuentium, volucres quoque cæli later; ita, vt etiam in sacra doctrina, acutissimo ingenio pollentes, rem magnam præstitisse videantur, si summa illa à mysticis viris tum doctrina, tum vitæ sanctimonia claris, scripto tradita; & vera, & homini possibilia credant. hinc ergo tandem aliquando perditio & mors, (qua viuus sermo Dei, & efficax, in toto hoc priuationis rigidæ statu pertingit vsque ad diuisionem animæ, & spiritus) dixerunt; auribus nostris audi-

audiuimus famam eius. ac si dicerent; operationes nostræ illius sunt virtutis, vt per hoc quod inordinatum amorem, & naturalem eius operandi modum disperdimus, & emori facimus; tandem deducamus ad talem interioritatis locum, & spiritualem profectum, vbi à longè aliquam, & spem, & opinionem de supremo illo diuini amoris modo, concipi possit. quod quidem cum fieri incipit, quando in spirituali profectu eo vsque processit, vt non quidem sensibiliter a maior fiat, puta, si in primo anno fuisset intensus vt decem, in secundo anno debeat esse vt viginti, & tertio vt quadraginta, & ita consequenter; hoc enim sicut non fieri potest, sic nec fieri expetit; sed vt absque sensibili molestia potentia superiores inferioribus dominantur, & libenter appetitus inferior, rationis iudicio obediat.

Sed obserues, o pia anima, quam perseueranti studio sapientia, & locus intelligentia disquiratur; non enim semel, vel ab vno, vel à paucis inquiritur; sed secundò interrogat, & vndique indagat sollicitè, ac post terram, ipsum mare examinat; quin & cælos penetrat, & tandem perditioni, & morti se credit. vt videlicet discas diuinæ amicitia ordinatam fruitionem, prout supernaturali modo operandi per gratiam specialem à Deo infunditur; multa præludia, & varios status, eosque ad plures annos perseuerantes, præcedere faciem Domini. hinc Dominus

b transit, & spiritus grandis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; & tamen non in spiritu Dominus, quo in statibus meditationis, & adspirationis, spiritu feruoris excitati spirituales Tyrones, montes vitiorum, & petras mortificationum, deprauatæ naturæ adhuc durissimas, studio virtutis, & orationis conterunt. post spiritum autem erat commotio, sed neque in commotione est Dominus; nec in statu contemplationis, quo anima de mundo, & supra se ipsam eleuatur, & loco proprio quasi dimouetur, per cælestem conuersationem. post commotionem autem erat ignis, sed nec adhuc in ipso igne, & hoc statu priuationis, in quo, vt aurum in igne liquecit, depuratur, & in imaginem pulcherrimam formatur, est Dominus. post ignem autem erat sibilus auræ tenuis, & in eo erat Dominus; quando scilicet ex ipsa interioritate spiritus, diuinæ naturæ consortium spirat; ceu aër in temperatissima regione hominem iucundissimè exhilarans. quod priusquam per supernaturale donum intellectus fiat, si ab eo tempore quo mysticus omnium primo, se suaque omnia exercitio recollectionis tradidit, computandum sit; circa sextum, vel septimum annum huc pertingens, rem suam sat benè fecisse censendus esset. Verùm si ab illo tempore computemus, quo amor secundum affectum, & vt dici solet, secundum sensibilem

Z

sibilem

sibilem amorem deficere incipit (post status meditationis, adspirationis, & contemplationis) possit status hic priuationis ad quatuor vel quinque annos durare. nonnulli enim ex ijs præsertim, qui ad status supernaturales disponuntur, primis duobus circiter annis amoris sensibilis, seu affectualis spheram, & capacitatem pertranseunt. Verùm prout hic status in medio rigorem suum exercet, vix per annum durare solet: & circa finem etiam quando omnes potentia, & totum compositum hominis in vnum cum diuina voluntate confluit, tantundem. quod autem status priuationis tam diu duret, præter ea quæ superius dicta sunt, hoc ipsum provenit ex peccato originali, naturam vsque ad ipsam animæ essentiam vitiantem, quæ priusquam peractus virtutis, mortificationis, & amoris diuini in rectum ordinem redigatur, labuntur dies, anni, & tempora: præsertim apud illos, qui durioris sunt naturæ, & fortioribus passionibus exagitantur, in virtutis studio tepidius agentes: idque vel maximè in flexibili illa adolescentiæ ætate, quando Spiritus Domini suavis, etiam quasi vltro, & blande naturam vitiatam solet in benedictionibus dulcedinis præuenire, & quasi sale condire, ne illecebris mundi victa putrescat. & certè possit quis in sua vocatione tam negligentem, & effusam vitam ducere, vt tanquam alter

languidus, b ad probaticam piscinam vel triginta octo annis iaceret, alio semper prius descendente, & sanato; dissoluto tali religioso indies duriorum, cameli pelle interioritatem, cano, caluoque capiti tandem impo-
nente.

Quando ergo ô pia anima, per huius spiritualis perditionis, & mortis aures, vel à longè minimum quid de Deo, & interiori successu audiueris. bona spe erecta, ad vltiores status transire poteris, quamuis nondum quidpiam singulare experiaris; dummodo ordinariæ desolationis mutatio, non ex actu aliquo transeunte; sed constanter, & permanenter contingat, cum aliqua inclinatione ad aliquid in se meliùs; licet nondum scias, aut intelligas quid hoc aut sit, aut quo etiam tendat. est enim amoris diuini eiusmodi procedendi modus, qualis in igne sancto illo apud Machabæos c fuisse legitur. cum enim filij Israel ducerentur in Persidem, sacerdotes, qui tunc Dei cultores erant, acceptum de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus; & in eo contutati sunt eum; ita vt omnibus esset ignotus locus. cum autem post multos annos requireretur ignis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam quidem cum sacrificijs aspersissent. & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.

a 1. p. decis. 5. a. 1. b Ioan. 5. c 2. Mach. 7.

rentur. simili inquam, prorsus modo in mystica, praxi contingit. vnde ignis ille diuini amoris qui prius in altari præsentiæ Dei ardebat, (iuxta, alios & perfectiores modos tota prima parte explicatos) vbi in hac priuatione tanquam in altissimo, & profundissimo puteo cordis absconditur; in aquam crassam lachrymarum, mille querularum, & dolorum conuerti videtur: at vbi per gratiam modi operandi supernaturaliter repertus fuerit, ac sol diuinæ præsentiæ, (quæ prius in tenebris posuerat latibulum suum) per dictam gratiam resplenduerit; in holocausto animæ, voluntati diuinæ toto suo composito, & in omnibus viribus subiecto; accenditur ignis magnus diuinæ dilectionis; ita, vt merito, tam ipse practicus, quam qui eius dolores alias nouerant, mirentur, quod Dominus sit verè pius, & misericors, dans nomen nouum, quod nemo nouit, nisi qui accipit, nec credit, qui non accipit, nec magis indignum hac gratia se credit, nisi qui illam obtinuit.

Cæterum antequam ad ea quæ statum vnionis concernunt, transeamus, hoc vt maximè congruo loco, singulariter pro praxi obseruandum venit, quod quandoquidem impofterum virtutes essentiali modo exerceantur, ac per dona intellectus, ac sapientiæ procedatur: posse duos, vel plures mysticos, si simul à priuationis ad vnionis statum transeant, dein etiam simul ad

mirabili conformitate, omnes status modi supernaturalis penetrare, & vt plurimum consimiles mentis regiones situs, atque operationes experiri: ita tamen, vt quilibet, in proprio suo in Deo habere, & viuere, plus & aut minus arctè, vitaliter, & profundè hoc ipsum præstet. sicut cum duo vel plures simul montem ascendunt; pari quidem gressu, sursum vel deorsum mouentur; vno tamen altero pulchriora quæque penitiùs vidente, & intimiùs considerante, prout oculus scilicet intellectualis cuiusque limpidior, & amoris vis tenerior fuerit; spiritu Sancto distribuyente singulis prout voluerit. hinc etiam profluit, vt sicut in statibus modi naturaliter operandi, nulla, vt plurimum, inter mysticos esse solet simul procedendi vniformitas, sed admirabilis diuersitas; dum scilicet vnus antrorsum, alter retrorsum, hic sursum, ille deorsum tendit: ita è contrario, post statum huius priuationis (præsertim cum ad medium, aut summum status vnionis peruentum fuerit) maximam vniformitatem, simul in arcano Dei amore procedendi, reperiri, ac summe iucundum esse, si duo vel plures vniformiter in mysticis constituti, ordinato progressu, status supernaturales (qui aliter in initio, aliter in medio, & aliter in summo, diuinum lumen amorem spirantem distribuunt) congradiantur, & ab inuicem, illuminati, in absconditis diuinis consilientur. qui ergò sapientia benè

Z 2

vsi sunt,

¶ si sunt, & sicut aurum, & argentum in igne probatum septuplum, tanquam participes amicitia Dei, & gratia modi operandi supernaturaliter & perfusi, ad sequentem statum vnionis transire poterunt: Vbi ad oculum cognoscent, quod sedentibus in tenebris, & umbra

a Vr inf. decis. 2. a 10.

mortis; transactæ priuationis; lux magna doni supernaturalis scientiæ, orta sit eis. quodque in paucis vexati, in multis bene disponentur, pro vt latius constabit ex sequentibus.

(***)

P R A X I S
 STATVS VNIONIS MYSTICÆ
 ET PRIMO

DE IIS QVÆ FIUNT IN INFIMO
 PER ALLEVIATIONEM AB HABITA PRESSVRA.
 PARAPHRASIS QVINTA.

Quæ est ista quæ progreditur, pulchra vt luna. b pulchram, vt lunam, appellat piam animam, ac si diceret, illa quæ prius scilicet in statu priuationis, tanquam aurora progrediebatur, magis ardorem amoris depurantis, quam lumen actiuitatis spiritus præferebat; nunc scilicet in statu vnionis, pulchra vt Luna constituitur, quando serenatur, & ab illa duntaxat parte, qua soli obijcitur, lumen recipit, quod vti fiat, secundum quod status vnionis non summa; sed minima modi supernaturaliter operandi continet, iam dicendum est interea verò præordinata, & accurata operatione, ac maiori in charitate radicatione, ad exercitium actus, hoc loco mysticum remittimus ad praxin formationis operationum, seu verborum mysticorum (sine qua quidem praxi actualem cum Deo vnionem, aut incipere, aut continuare stylo ordinario impossibile est) vt

illius

b Cant. 6. c Paraph. 5. 7. & 8. d Inf. Paraph. 6.

illius vsu conformiter ad suum statum vnionis, prout ille incipit, proficit, & perficitur, ac secundum notabiliores vicissitudines (paraphrastice descriptas) cooperari addiscat: praesertim cum ad mediam regionem status vnionis pertigerit; hic autem consequenter ponitur,

- I. Breuis deductio eorum quae eueniunt in praxi toto statu vnionis durante.
- II. Propria operatio, quamdiu anima in infimo vnionis versatur, est transitus in libertatem spiritus per susurrium mysticum.
- III. A fundo obscure ponderoso oportet se expedire; sed non ab essentiali interna quiete.
- IV. Non amplius procedere potest mysticus vt primum operans.
- V. Alleuatio quae fit versus spiritum licet augeatur, eius tamen fructio adhuc improporcionata est.
- VI. Nisi appetitus fruendi alleuietur secundum spiritum, facile contingit relapsus ad radium fundi.
- VII. Circa regionem spiritus aduertitur lumen mysticum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum quae eueniunt in praxi toto statu vnionis durante.

Fili hominis putasne viuent a ossa ista, & dixi, Domine Deus tu nosti. & dixit ad me, vaticinare de ossibus istis. & dices eis, ossa arida audite verbum Domini: haec dicit Dominus Deus ossibus his. ecce ego introducam in vos spiritum, & viuetis. & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuetis. Ac si diceret, o pia anima, sicut propter ossum nimiam nuditatem, ariditatem, & dissipationem, impossibile videtur, vt reuiuiscere possint, & in ordinem priorem componi, nervis, & carnibus reuerriri, ac spiritum, integramq; vitam recipere; ita quoq; vsu venire solet apud animam piam in statu priuationis, vsq;

a Ezech. 37.

ad medullas ossium, & paulo minus quam ex toto consumptam, ita vt ipsamet vltiorem progressum sibi impossibilem imaginaretur, donec in hoc statu vnionis, paulatim spe interioris perceptionis erigatur, lumen, & amorem suscipiat, & a spiritu diuino in pedes erecta, stet fortior, ac cum lobo nouissimis suis magis quam principio eius benedicatur; cum eo tamen, vt sicut luna, in initio dum crescit, videri non potest, eo quod luminis nihil recipiat, quousq; aliquantulum, & quidem ex obliquo soli opponatur; ita quoq; in initio status vnionis pia anima modicum accipiat, quamuis enim per gratiam mysticam modi supernaturalis, & inhabitantem spiritum diuinum renata sit, & luminis diuini capax; hoc ipsum tamen nondum apparet, nisi cum in initio

Z 3

par-

paulatim ab habitis tenebris quasi cæcutiens, vidit nonnihil luminis; in medio autem, & progressu tanquam luna crescens, in lumine proficit; in fine verò, cum ad plenum, ac summum vnionis pertigerit, toto se luminosa fit: cum eo tamen etiam, vt licet luminosa cum luna efficiatur, hoc nihilominus non fiat ita perfectè, quin tenebrarum aliquas referuet maculas, & tempore suo iterum ordinatè decrescat, & accrescat.

Et idè etiam pia anima toto statu vnionis durante, non omnino à relapsu ad soleitatem, & carentiam proprii spiritus, expediri potest. donum enim intellectus (quod in statu vnionis mysticus consequitur) iudicium tantum perficit per simplicem perceptionem veritatis, cum sit habitus principiorū, & capax redditur, vt ad intima eorum penetret, quæ in spiritu videntur, & dicuntur, vtq; rationibus æternis, & conspiciendis, & consulendis inhereat: non tamen ea efficacia, & amoris abundantia, quæ in vires inferiores tam copiosè redundet, vt interruptionem bene afficietia, & carentiam eius, seu spiritus proprii soleitatem non incurrat. & hoc ipsum etiam quando in summo status vnionis fuerit; sicut & à sua plenitudine luna deficit: quoadusq; in statu Transformationis, tota pellucida ex dono habitus supernaturalis sapientia, ad instar solis luceat in virtute sua, non habens maculam; aut luminis, aut dilectionis adæquatè deficientiam. sicut ergò post aliquam interioritatem acquisitam per status meditationis, & aspirationis;

a Psal. 36. b Job. 4.

in statu contemplationis pro prima eleuatione, & quæ naturali modo operandi contingebat, ante hanc priuationem rigorosam ad superiora conscenderat: in statu autem priuationis, vsque ad infima quæque descenderat. ita modo ab inordinato amore depurata, de nouo in hoc statu vnionis eleuari incipit; ita vt totus status vnionis sit, primus ascensus modi supernaturalis, in quo ab infimis per media ad summum tandem procedit. interea verò o pia anima, quamdiu in infimo status vnionis versaris, & quoadusque in spiritu viuens educat a quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, subdita esto Domino, & ora cum iam verò dictis ijs, quæ in communi fiunt, ad specialia descendendum erit,

Propria operatio, quam diu anima in infimo vnionis versatur, est transitus in libertatem spiritus per susurrum mysticum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

AD me dictum est verbum b absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrj eius. Ac si diceret, o pia anima, vt cognoscere possis interiorem præsentem tuam constitutionem, recogites velim infirmum aliquem graui morbo annis aliquot laborantem, & tandem ita viribus destitutum, vt nullum vsum sui corporis amplius habeat; sed tantum in eo adhuc se viuere ita sentiat; vt tamen se sanandum vix credat. vnde si medicus illi spem conualescentia dederit, tum profectò quasi verbum

verbum absconditum ei dicit, & quasi furtivè suscipit auris illius venas susurrarij eius; dum quasi à longè, & remotissimè adstantis medici vocem audire, nimis tamen quam procul à promissa sanitate distungi videtur, de sanitate adhuc nihil, de infirmitate autem totum sentiens, nihilominus tamen spes sanitatis datæ, in auribus, & intima cogitatione infirmi susurrat, & cogitare de conualescentia facit, ac in spem, contra spem, se erigere cogit, ita vt licet impossibilis videatur; quod tamen dictum est verbum sanitatis susurrat, nec quiescit, quin memoriæ se ingerat, & ita absconditum se esse ostendat; vt tamen vocem aliquam edat, & sanitatis cupiditatem adferat.

Ita prorsus contingere solet piæ animæ, quæ ex statu privationis, & amore diuinitus depurato reuiuiscere incipit; recenti liquefactione adhuc mollis, delicata, & ad maiestatis diuinæ consortium longè adhuc impar. & idèd tanquam propria operatio, [susurrium occulti verbi Dei; est ipsa loquutio inspirationis internæ: qui enim susurrat occultè loquitur, & vocem non exprimit, sed imitatur. quum ergò se omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur; sed susurrat; quia etsi se plenè non intimat; quiddam tamen de se humanæ menti manifestat.] licet ergò Benignissimus Deus nondum se plenè intimet; cum eo tamen quantumcunque modicum sit quod manifestat, essentiali

pace, & humili consensu acceptet, & viscerosis desiderijs dulcia susurraria, & collaudes frequentare incipiat cum dilecto; ita tamen, vt licet interea quasi prophetante interioritate fiat sonitus, & commotio susurrarij diuini, accedantque ossa ad ossa, & vnumquodque ad iuncturam suam per meliorem indies ordinationem ac pacem, ascendantque super ossa nerui, & carnes, & cutis deluper; quo ita paulatim disponatur ad suscipiendam amoris vnitiui bene-afficientiam; spiritum tamen nondum habeat; neque intellectus operationes tolerare possit; quousq; ad mediam regionè ascenderit, ea quæ de operationibus spiritus proprij tractata b sunt consequatur. hinc etiam aliquamdiu finita priuatione, circa fundum, (sicut à carcere liber quidem, tamen adhuc recenti memoria adstante) gyrat, & mala perpeffa recogitat. sicut enim nemo repente fit summus, sic neque ab infimis ad media illicò; sed ordinato progressu mouetur, priusquam se exuat stola luctus, & vexationis, quæ sola dedit intellectum luminis mystici, ad spiritus libertatem, & decorem, quem præparauit Dominus his qui diligunt illum. quod etiam contingit apud illos, qui diuino lumine illicò, perfusi, singulariter gratiæ mysticæ modi supernaturalis infusionem perceperunt: Viuacitas enim talis infusionis non diu durat. & idèd etiam primaria actio, circa quam vtiliter in initio vnionis versatur, est vt ab habita pressura sese

expe-

a S. Greg. lib. 5. moral. cap. 20. b Paraph. 7.

expediat, & in spiritus libertatem transeat, discatque intimè, & subtiliter de Deo sentire. sentire, inquam; magis enim secundum motus voluntatis, quam intellectus hic procedit. si quæ tamen pia anima ex illis, quæ status privationis mutationem, cum singulari gratiæ infusione, & gaudio senserit, in spiritus libertatem simul deducatur; nec amplius opus habeat à perpessa pressura sese expedire: relictis hisce quæ hic in initio habentur, ad ea quæ in medio dicuntur transeat. qui enim amabilioris naturæ sunt, & ingenij facilitate pollent, licet alioqui illiterati sint, facile à perpessa privatione sese expediunt; præsertim si mutationem sui status, cum notabili, & subita illustratione accipiant. iam verò consequenter particularia inferioris regionis status unionis, accuratius tractabimus.

A fundo obscure ponderoso oportet se expedire: sed non ab essentiali interna quiete.

ARTICVLVS TERTIVS.

Bonum est a præstolari cum silentio salutare Dei. Ac si diceret, ô pia anima, quæ adhuc non nisi in centro, & fundo amoris erga Deum sanata, & benè ordinata es, ac quam facilè, & libenter in temetipsa sub collecto gustu habitus; cum intellectus operationes adhuc impares, & peregrinæ admodum appareant: scias velim uti-

lissimum, & hoc loco maximè proprium esse, præstolari cum silentio salutare Dei; dummodo hoc ipsum ita silentiosè vt non otiosè, & taliter qualiter, aut in ponderoso fundo, obscure fiat. quod tunc facillimè contingit, quando pia anima aut gustum, quem ex infusione intensioris gratiæ percipit, nimis diu retinere, & quasi violenter constringere satagit. tum enim potentias spiritus quodammodo suffocet, & extra actionem boni constituit, aut quando ita præstolari vult salutare Dei, vt nil interea agat, nudè expectans, vt Deus ex seipso, & solus operetur (quod quidem huius *b* loci non est) & sic otio exposita, facilè tædium ex interna incarceratione, & quasuis obuias distractiones, noxia sue representationes, ac stimulos incurrit.

Debet ergò pia anima gustum consortij diuinæ naturæ, quem vitaliter in ipsam voluntatem ex animæ essentia fluere percipit; silentiosè admodum in omnes vires (quantum fieri poterit) libenter, vt effluat, permittere, nec villo modo pertinaciter velle retinere; sed cum intima illa dilectionis benè afficientia, quodammodo obscura, crassa, tepida effecta fuerit, nouo, & interioritati conformi silentio, iterum humili, & reuerentiali subtilitate, ad consortium diuinæ naturæ in voluntate radicatum sese conuertere, ac modeste, quod concessum fuerit, exurgere, aspicere, coque oblectari, semperque oculum

atten-

^a Lamont. c. 3. ^b Sed inf. Dec. 6. n. 15.

attentionis intrò renouare. cum autem eiusmodi gustus defecerit, hoc ipsum humiliter sustinere, & alium effluxum vitalem patienter ita quidem præstolari; vt tamen frequenter, & ordinaria praxi attentionem renouet, audiaturque si quid intus Dominus susurrerit. & tum quidem ita à fundo obscure ponderoso sese expediet; vt tamen essentialem, & realiter infusam quietem cordis non dimittat; sed illam renouando foueat. & hisce quidem diligenter obseruatis, nouo modo interius operandum esse, notabiliter ex sequentium praxi constabit.

*Non amplius procedere potest mysticus
vt primum operans.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Nunc filij Dei sumus a & nondum apparuit quod erimus. ac si diceret, o pia anima, quamuis gratiam modi supernaturalis à Deo consecuta sis; hoc ipsum tamen nondum potes aperte experiri. sicut enim arbor prius firmam radicem figat oportet, antequam florere possit, & fructus proferre; ita quoque in ipsa animæ essentia, (quæ ex originali peccato vitiata, & tum intellectu, tum appetitu facile à Deo, vt à prima veritate, & summo bono, ad aliud impertinens mouetur) magis magisque radicari, & deinde diuinæ naturæ consortium, per prius in voluntatem, dein intellectum effluere habet,

antequam viuaci perceptione ad alias potentias, & totam hominis circumferentiam diffundi possit. & ideo nondum apparet gloria filia regis ab intus, & modus operandi vt primum non operans, seu Deo se vnens; id est, non sicut in aliud ad extra, & obiectum à se distinctum tendens, prout in statibus meditationis, adspirationis, & contemplationis fieri consuevit: sed vt in seipsa manens, & operans, & vnum ex vtroque, Deo scilicet, & se coniungens.

Cæterum propter varia etiam accidentia sæpè non apparet, vitalis illa bene-afficientia, quæ in voluntatem fluere habet; vt indè species, imago, seu similitudo quædam ad operationem mysticam necessaria, fabricetur. vt (verbi gratia) si quis cum his absconditis, vacare deberet intellectu studio, vt puta lecturæ, aut officio concionis, intense, & ordinariè se applicare: vel si annos adolescentiæ, & virilis ætatis in interiori homine hucusque produxisset, nondum vinculo matrimonij constrictus, aut iugo Christi subiectus, in propria libertate degeret; & modò ad sæculi honesta commoda, modò ad religionis statum inclinans: vtroque autem dubijs, & anxietatibus vallatus. vel, si quis practici huius ordinis ignarus, tenues hoscè operandi modos non inueniret, velletque vt primum operans, in aliud à se distinctum propria operatione tendere; cum magis in iugilandum esset, vt sese in suo interiori

Aa

vita-

vitali aliquo affici indueret, in eoque seipsum dilaret; licet modò prius incipiat supernaturali modo consortium diuinæ naturæ imbibere; vt dein paulatim superioribus potentijs, & toti circumferentiæ communicetur.

Sicut ergò caueri debet, ne quis in præsentî statu per discursum, aut vt in aliud extra se, & distinctum à se procedat: ita quoque paulatim obseruari debet, Deum per gratiam mysticam (pro vt ex essentia animæ ipsam voluntatem consortio diuinæ naturæ benè afficit,) impostero esse, vt primum operans, & vitale suæ diuinitatis gustum primò præbens, vt dein pia anima sua operatione cooperetur, speciesque ad exercitium actus *a* producat. & hic est modus essentialis, vel essentialiter operandi, de quo apud mysticos Scriptores tam frequens est mentio. secundum quem, quando non tantum hoc loco; sed etiam toto ascensu status vnionis, vitali gustu in voluntate prius non afficitur, nec illam per operationes internas, conatusque excitare potuerit: tum toto suo esse, habere, & sentire, essentialem quandam submissionem ad Deum continet, & humiliter ferat; quod licet pia anima admissa sit hæres amicitia Dei, ab illa tamen relabatur; aut præsertim hoc loco, illius vsum notabilem non habeat; benè contenta, quod paulatim ab habita pressura respiret, & in alleuiationem spiritus, ac nomam ad instar cæli cuiusdam regionem, sese eleuet. sicut enim hæres quanto

tempore paruulus est, sub tutoribus, & actoribus est, cum sit Dominus omnium, vsq; ad præfinitum tempus à Patre, vsu, & dominio bonorum suorum ad libitum, adhuc carens: sic quoque in pia anima vitalis gustus, & consortium diuinæ naturæ, ex centro seu animæ essentia (in qua gratia, quæ est vita æterna, residet) ad circumferentiam modicè fluet. ita, vt vel maximè idè nondum tam facillè, & frequenter species vitales elicere possit, cum ipse gustus, ex quo species etiam inaduertenter, per intellectum agentem fabricantur, adhuc valdè tenuis sit. quam subtilis ergò operatio hic sit necessaria, consequenter dicemus,

Alleniatio qua fit versus spiritum licet augeatur, eius tamen fruitio adhuc improporcionata est.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vidi cælos, *b* & ecce non erat lux in eis. ac si diceret; ô pia anima, qui de nocte cælum intuetur, quando nec luna, nec stellæ in custodijs suis dant lumen suum; is quidem maximam conspiciet amplitudinem, & spatiosissimam vacuitatem, vt luminis quidem receptaculum, & locum, non autem vt ipsum lumen: ita quoque interiora hoc loco aspicienda erunt, in eisque spiritus alleuiatio quidem aduertenda, & ad superiora erigenda; non tamen illa satisfactione, vt in voluntate notabilem aliquam fruitionem, & bene-affici subse-

qua-

a vt inf. paraph. 6. *b* Jerem. 4.

quatur. hoc enim adhuc fieri non potest, sicut nec debet. frequenter enim toto statu vnionis aliquid videtur prius, quã id quod videtur assequi liceat. sicut oculus subito, & procul conspici pulchram regionem; cui tamen ipse qui videt, nondum præsens est, vt in ea quiescere, & bonis eius frui, possit.

Sicut ergo primum, quod post perpeffam pressuram, & illam priuationis rigiditatem contingit, est alleuiatio à nimia fundi, & interioritatis captiuitate: ita etiam primum, quod anima consequitur versus spiritum, & ad hoc, vt vnum cum Deo fieri, & nouo modo, seu absque discursu, & vsu phantasmatum, (prout rerum sensibilibium, seu materialium sunt imagines) operari possit; est visus ad superiora se erigens; non tamen adhuc proportionatam fruitionem continens. & ideo pia anima debet humilissima in Deum tendentia, superiora sua tanquam cælum, cui lux nondum inest, intueri, nec maiorem fruitionem velle extorquere, quam illa sit, quæ ex notitia sequetur; quod scilicet in alleuiatione erga spiritum quidem crescere, & ampliari sentiat; nondum tamen inibi realem permanentiam, & vitæ respiraculum obtineat; interea semper pro exercitio actus, diuini non tantum boni, quod per modum fundi habetur; sed etiam diuini pulchri, cuius lumen versus spiritum videtur memoriam renouando. vt autem efficaciter hæc practicentur, in sequentibus, fundi inclusionem reijcimus, & ad spiritus alleuiationes deducimus,

a Cant. 3.

Nisi appetitus fruendi alleuietur secundum spiritum, facile contingit relapsus ad tedium fundi.

ARTICVLVS SEXTVS.

Qua est ista qua ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatis a myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. ac si diceret: O pia anima, adhuc desertum quoddam est ita Deo vniri; vt tamen non integre illiceat vnum per amorem fieri. vnde etiam adhuc nigra per tot internas mortes, tanquam vniuersi pulueris pigmentarij massa, omnium primum accendi incipis, & sicut virgula fumi in altum ascendis; in tota quidem interioritatis tuæ massa nigredinem habens, & lumine spiritus adhuc carens: ita tamen, vt simul ignem habeas, & leuiorem ad Deum tendentiam. qui quidem ignis dum obscure ardet, ipsam massam, & pondus obscuri, ac rædiosi fundi in tenuem, beneque olentem fumum, diuinæque naturæ consortium, & vnitatem absument, & in aërem, ac spiritualement dilectionem alleuiat; dein inuisibili subtilitate odoratum, seu occultissimam spiritus capacitatem perfundens.

Debet ergo, ô pia anima, appetitus fruitionis, non in massa illa inferiori, & nigra, ac nocturna obscuritate foueri, sed per appetitum ad primum, & summum bonum alleuiati: sicut fit, quando ignis massam optimi odoris, sua actiui-

A a 2

tate,

rate, & à pondere, per fumi subtilitatem, & à nigredine per ignis candorem liberat. secus enim id quod spirituale est, & ad spiritum erigi debet, facile ad pondus fundi obscuri trahitur, ibidemque miserè incarceratur. in quam quidem fundi obscuritatem (ob incolatus sui inibi prolongationem) se inclinari, & frequenter dilapsam se inueniet pia anima, dummodo hunc defectum corrigere studuerit. mirabilis enim est amoris proprii quaesitio, quæ cum in spiritu magnum quid non inuenierit, ilicò, imò quasi ordinariè ad fundum, tanquàm ad primum, & indelebile amoris diuini principium, (licet ex originali peccato vitiatum) se recipit, eiq; tam profundè immergit, vt inde ad superiora sese erigere, pro nimis tenui gustu ducat, malitq; crassis sensibilitatibus, & obscuris ponderibus se etiam cum tadio onerare, quam subili appetitu spiritus ad superiora respicere, nouamq; cæli regionem inhabitare: atque in ea substantijs separatis conformes actiones producere. & hinc prouenit quod non nulli post statum priuationis, dum sese deberent ab habita pressura absoluere, magis, magisque tenebris inuoluant, & tadiofis pressuris concludant aliquot annis: ac de toto ascensu spiritus, quem in hoc statu vnionis explicamus, modicum quid participant. & ideò sicut suffurium istud, in fundo semper aliquid quod amicitiam diuinam redoleat, proferre consuevit; sic vbi in ea tadiofa constrictio animaduertitur, ilicò

in spiritu alleuari, & ab habita limitatione in amplitudinem eleuari debet; vt ad operationes, & actiones conformes ad Nunc instans, pertingere valeat: quas tamen hoc loco nondum magnas, aut vitaliter intensas, siue secundum centrum, siue secundum spiritum, affectare debet. quamuis enim hic ignis amoris diuini ardeat, & anima vnum cum Deo effecta sit, vti massa vniuersi pulueris pigmentarij cum igne, eius tamen ardoris natura est, vt magis fumum, quam calorem, & odorem potius, quam saporem excitet. hinc etiam sicut in fundo, ceu voluntatis centro, diuini Boni afficientia; sic in spiritu ipsæ actiones boni, ipsum bonum, & pulchrum renouantes, & fountes resident; & pro actus exercitio, postquam humili reuerentia pia anima se ei prostrauerit, quæ ex nunc se ei per diuinitatis suæ benevolentiam, nouo modo manifestat, per spiritus subtiles intuitus penitiùs videt, quem tanta pietate colit. hinc etiam boni gustus perficitur, quod intellectus gustum, quem voluntas, seu amatiua virtus habet, inspicit, diiudicat, cogitet, recogitetq; & similibus spiritus operationibus quodammodo masticeat, digerat, & in sui nutrimentum conuertat. quanta porrò adhæc consolatio in pia anima subsequatur, constabit ex sequentibus.

Circæ

Circa regionem spiritus aduertitur lumen mysticum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Paululum cum pertransissem eos, inueni a quem diligit anima mea; ac si diceret, ô pia anima, ad hoc vt dilectum inuenias, in eiusque lumine lumen videas, vnicum est necessarium; vt scilicet inclinationes illas, ad principium amoris in fundo, seu cordis interioritate tendentes, pertranseas, & ad spiritus regionem te erigas; cum hoc loco non amplius per modum fundi; sed spiritus dilatationem, & eleuationem procedendum sit. & idè dicitur paululum cum pertransissem eos, scilicet tractus, qui ad amorem cordis, præsertim crassum aut tristem, inclinant; ilicò inueni quem diligit anima mea, & didici spheram actiuitatis meæ, in qua vnum cum spiritu diuino effici debeo, non in suadi constrictione, sed in spiritus regione, & noui cuiusdam luminis intuitu, Deique subtili memoria consistere.

Contingit enim hic mystico, sicut illi, qui sereno celo nocte obambulat, attentè desiderio alicuius boni abreptus; in tantum, vt se ambulare, & tempus impendere non obseruet, quousq; ad se reuersus, ad lunæ præclarum lumen sese progredi, & securius pedem figere, ac non nihil ea, quæ circa se sunt, aspicere animaduertat. pari, inquam, modo (interea quod viscerosis deside-

rijs ad meliora, licet nondum satis cognita, procedit) tandem ilicò omni dubio sublato, in toto suo habere, & viuere experitur, se ob inhabitantem gratiam diuinam, nullis vnquam futuris temporibus, tam rigidè amplius Dei amicabile præsentia destituendam. quæ quidem certitudo, cum indicibili gaudio contingit illi, cui datum est donum, & nomen nouum quod nemo nouit nisi qui accipit. Vndè etiam cum admirabili gaudio dicit cum psalmista, Domine quantas ostendisti mihi tribulationes, multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. nam quia anima mea agonizauit pro sapientia, & venter meus conturbatus est quærendo illam, propterea bonam possidebo possessionem. Vbi ergò pia anima, in spiritus regione lumen mysticum animaduertit, tota, & læta, & admirabunda dicit; paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Vndè etiam pro exercitio actus, & interna fruitione diuinum illud lumen spirituali iucunditate miratur, & mirando veneratur, eique & immorari, & bonitatem illius perscrutari, cum eaque vnum fieri, & appetit, & se vnum cum eo fieri conspicit, maximèque gaudet, prout ex sequentibus constabit. ad quæ etiam sese transferre poterit pia anima, quando maiorem inclinationem ad spiritum, & superiora, quam ad fundum, seu inferiora in sua interioritate animaduertit; siue multum, siue modicum tempus expenderit,

Aa 3 in

a Cant. 3.

in ijs quæ post priuationem in initio vt congruentiori loco de oparatio-
 status vnionis fieri dicta sunt. ceterum nibus statui vnionis proprijs
 priusquam dicamus de ijs, quæ in me- dicendum erit.
 dio & summo vnionis eueniunt, hic

P R A X I S

FORMATIONIS OPERATIONVM
 SEV VERBORVM MYSTICORVM AD EXERCI-
 TIVM ACTVS, PRO STATV VNIONIS PER SPECIES EX-
 pressas ad mensuram doni intellectus supernaturalis.

P A R A P H R A S I S S E X T A.

Auris a verba diiudicat, & fauces comedentis saporem. ac si diceret:
 ô pia anima, sicut in corporalibus non quælibet potentia om-
 nia obiecta; sed quælibet potentia sibi proprium obiectum perci-
 pit; sic quoque, & longè amplius in spiritualibus contingit: ita vt
 intellectus solum videat; sicut auris solummodo audit; & voluntas
 sola directè diligit, sicut solus gustus suaue diiudicat. id quod in sta-
 tu vnionis (qui minora modi supernaturaliter operandi continet)
 quotidiano vsu magis, quam in cæteris omnibus statibus obseruari
 debet. cum enim potentia intellectus, hoc loco vt plurimum, in-
 adæquatè procedat; ita vt initio status vnionis, ab amatiua virtute
 vix tolerari possit: in medio autem amoris oculus constituatur; in
 summo verò, ad sublimia præcedendo amorem quoque eo alliciat;
 oportet cuilibet potentia, & status regioni se se accommodare, &
 modo aure spirituali audire, modo autem, quod intellectus viderit,
 voluntatis suauolentia gustare. idque semper per species expres-
 sas, id est, per industriam cooperationis propriæ; quando exercitiū
 actus pro Hic, & Nunc, inchoatur: quod in hoc statu frequentissi-
 mum est. cum enim adhuc rarò in actu perfectæ intelligentiæ my-
 sticus

a Iob. 12.

sticus subsistat; facillimè intellectus admirabili sua actiuitate, volubili inconstantia, ab optimo vnionis ad eius medium, & à medio ad infimum; aut etiam nimis quam sæpè, ad impertinens aliquod dilabitur: non quidem secundum statum, prout ille in regionem infimam, mediam, & supremam diuiditur. sed prout in exercitio actus, vnionis fruitio acquiri, perfici, & foueri solet. vt autem hæc omnia commodè, & ordinatè practicari valeant; semel pro semper singulari memoria recondendum est, aliud esse in statu aliquo perfecto seu modi supernaturaliter operandi esse constitutum; & aliud Hic & Nunc perfectè operari. nam postquam pia anima semel, v.g. statum vnionis, vel transformationis fuerit adeptæ, non solum in eo semper manet; sed continuò in tali statu progreditur: verùm in actus exercitio penè omni hora, aliter atq; aliter operari habet, & sæpissimè (imò quando per species expressas oratio mentalis aut incipienda, & continuanda est, ordinariè) per intellectum agentem procedendum, & tam diu susque deque inquirendum est, quousq; species aliqua vitaliter de Deo afficiens elici, continuari & foueri possit: & hoc sicut est facillimum in transformatione; ita satis difficile est in statu vnionis; eo quod in illo, per donum intellectus, ipsa voluntas nondum adæquatè (saltem vt plurimum) vitaliter in Deo afficiatur, nisi in quantum per operationes intellectus agentis excitata fuerit. Itaque præter ea quæ in toto statu vnionis, ab infimo, medio, & supremo contingere ostendimus de particularibus pro Hic, & Nunc omni hora, aut penè momento necessarijs, & statui vnionis operationibus proprijs prius, & antequam de ijs quæ in medio, & summo vnionis contingunt, dicendum fuit,

- I. De Praxi ad exercitiũ actus status Vnionis pro vt per imperfectas operationes. disponit ad exprimendam speciem propriã, vt causam actualis amoris.
- II. De Praxi ad exercitium actus, ad Hic & Nunc, pro vt per species expressas vitalis gustus consortij diuina natura, in actu transeunte, vel immanente incipit, perficitur, continuatur, excedit, remittit, interrumpitur, deficit, ac reincipit.
- III. De Praxi ad exercitium actus pro vt per donum intellectus, ordinatè, & continuò perfectius aliter atq; aliter, mystica tum dimensiones, tum species formantur.

IV.

IV. Quolibet statum supernaturalem non tantum diuidi in tres substantiales regiones sed etiam harum singulae subdiuidi in varias circulares operationes seu gradus quosdam.

V. Regula, axiomata, seu maxima quaedam generales mystica ad exercitium omnis actualis operationis modi supernaturalis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Praxis ad exercitium actus status unionis, prout per imperfectas operationes disponit ad exprimendam speciem propriam, ut causam actualis amoris.

Post a industriam sequetur sapientia. ac si diceret, ô pia anima, omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur, & ideo non directè, aut subito ad gustum amoris diuini peruenitur; quando magis actiue, quam passiuè, & per species expressas intellectus agens procedit. tum enim semper prius oportet, ut intellectus hinc inde respiciat, & loco præambuli, seu proximæ dispositionis æterna spectacula aliquando sursum, aliquando deorsum, dextrorsum vel sinistrorsum, antrorsum, vel retrorsum, tanquam audiens vocem post tergum monentis, inspiciat: & hoc ipsum quidem non tanta puritate, & quiete, quanta desideraret; quæq; propria sit, ut inde amoris bene-afficientia exprimi possit; sed sæpè obliqua ad diuinorum radiorum tendentia. pro horum ergò clara notitia, sciendum est, quod obiectum intellectus nostri sit quod quid est, seu quidditas in materia existens, quodque nostra cognitio

à sensibilibus ortum habeat. iam verò licet hoc loco sensus, & sensibilia, ad formandam aliquam propriam speciem, id est, Dei similitudinem, ut causam actualis amoris, insufficientia sint, & ut inproportionata reijciantur; hoc tamen non ita absolutè fieri potest, quin aliud loco sensuum, & sensibilibus substituatur. & hoc Paulus ad oculum facit, quando Ephesios ad arcana diuinitatis deducere cupiebat. tunc enim à dimensionibus, & circulis quibusdam diuinis, quique diuinæ sapientiae particulæ quædam sunt, & vestigia, incipit dicens: ut in charitate radicati; & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. atque ita circa Dei totalitatem integrè considerandam, quatuor inter se distincta proponuntur. primo quidem ipsa diuinitas, quæ latè se extendens, tribus personis sanctissimæ Trinitatis vna, & eadem est æqualiter. Secundo verò personam Patris, quæ in longitudinæ diuinitatis æternitatis, siue in Nunc æterno Filium sibi æqualem generat: Tertio autem personam Filij, quæ in diuinæ naturæ sublimitate est splendor, & figura substantiæ patris: Quarto tandem personam Spiritus sancti, in quodam profundo amoris, ab vniuersis bono

bono, operatione & amore procedens. vel etiam intellectus loco *a* sensuum alia substituit, & dicit iuxta Sacrae scripturae loquendi modum, quod Deus sit magnus, parvus, summè bonus, maximè speciosus, & plura similia.

Intellectus itaque in infimo sui, id est, in imaginatione, horum aliquo benè munitus, ne scilicet ab aliqua alia inutili, aut minus congrua imagine distrahatur; protinus ad priorem aliquam speciem (quæ aliud non est, quam quædam diuinitatis similitudo) exprimendam se erigit, aut deprimit, extendit, aut restringit, antrorsum vel retrorsum, se recipit; & hoc ipsum tam diu, quoad usq; tandem puram aliquam, ac simplicem speciem, siue talem diuinitatis radium, lumen, ac pulchrum consequatur, ex quo, in voluntate vitalis aliquis gustus, amor, seu bene-afficientia possit haberi: atq; tum demum, & non citiùs, intellectus agens pro Hic, & Nunc speciem realem, ac propriam illius vitalis gustus format; intellectus verò patiens ilicò ex sua fecunditate, etiam mystico (præsertim illitterato) non aduertente; eundem vitalem Dei gustum illustrat, diiudicat, totamque illius felicitatem pronuntiat, ac vnum perfectum verbum mysticum dicit, id est, operationem diuini amoris exprimit. atq; ita verè in praxi mystica, post industriam scilicet conformiter operandi, prius sequitur sapientia, id est, sapida scientia, seu spiraculum vitæ; quo fit in animam spiritualiter viuentem, vt ea mediante,

dein in exercitio actus, fruitionem vniuersam quam modo per vnum actum incepit, ilicò continuet. *b* Et hæc quidem omnia non tantum sunt præstanda, quando ab opere aliquo externo, puta agricultura, studio, aut concione; sed & quando à pia aliqua precatione, verbi gratia, horarum canonicarum, missæ sacrificio, aliæque vocali oratione, mentale exercitium arcani amoris est auspiciandum. hæc enim licet pietissima sint, adiunctum tamen habent actualem vsum sensuum; vt scilicet ea quæ legenda sunt videat, & quæ audienda sunt audiat; & rationis discursum, vt scilicet vnum post alterum pertinenter audiat, legat, canter; & eorum significationes intelligat, ac etiam in voluntate amorem diuinum excitet: quæ omnia mysticis cum omnibus alijs pijs catholicis, suo tempore communia habent. cum autem ad purè mysticas actiones se conferunt, hæc cum alijs deserunt, transcenduntq; vt in spiritus purissimis actionibus Dei amorem viciniùs attingant.

Cum primis autem hoc loco pro quotidiana praxi annotandum est. frequenter etiam in vno die piam animam, licet tanquam apis argumentosa omnem diligentiam adhibeat, attamen nec ad vitalem gustum, multoque minus ad amoris fruitionem pertingere; sed horas, & dies in continua inquisitione modo sursum, modo deorsum, sinistra versus vel dextra versus, antrorsum, vel retrorsum, ad conformem aliquam

B b

Dei

a vt latius hic n. 2. *b* vt hic n. 2.

Dei similitudinem exprimendam, impendere: non sine tristi, & arida tolerantia. quæ ut leuius feratur, & non tam propriæ negligentia, ac internæ infidelitati, adscribatur, recogitandum est primò; quod licet post priuationem infundatur gratia, & modi operandi supernaturaliter, ita ut ius, & propriam dispositionem habeat ad vitale consortium diuinæ naturæ: hoc ipsum tamen nondum apparere, sed successu temporis, quando in charitate magis, & magis radicem fixerit, & in medio scilicet, aut summo status vnionis constituta: ac tandem dono sapientiæ supernaturalis à Deo dignata fuerit. Secundo aliud esse aliquid habere, aliud habitum retinere, fouere, & in eo oblectari. aliquando enim, imò frequenter in initio, & medio vnionis pia anima inueniet aliquem vitalem in Deo gustum; sed minime illum poterit (etiam per quamcunq; adhibitam diligentiam) fouere, & per intellectus operationes ad fruendum dirigere: nec tamen interea negligenter agit, aut tempus minus vtiliter expendit; sed hisce strenuis conatibus diligenter contestatur, quia ipse altissimus sit, quem diligit anima eius; vnde etiam meritorijs actibus multiplicatis, continuo in charitate magis radicatur, & ad vteriores spiritus progressus disponitur. interea verò hic consequenter dicemus, quomodo actus exercitium perfectè incipiat, & perficiatur.

Praxis ad exercitium actus, ad Hic & Nunc, prout per species expressas vitalis gustus consortij diuinæ naturæ, in actu transeunte, vel immanente incipit, perficitur, continuatur, excedit, remittitur; interruptur, deficit, ac reincipit.

ARTICVLVS SECVDVS.

Specie b tua, & pulchritudine tua in-
Stende, prosperè, procede, & regna. ac si diceret, ô pia anima, non qualibet specie assumpta; sed tua, id est, tibi proportionata, & pro Hic, & Nunc congrua in interiori tuo procedere debes. ut autem hoc ipsum absq; ambiguitate præstare valeas, sciendum est primò, specie mysticam (de qua tantum hic loquimur) nil aliud esse, quam similitudinem de Deo, eiusq; diuinitate ab intellectu formatam. cum enim in hac vita, absq; singulari gratia (quæ vel tribus contigit se vix conceditur) ipsam diuinam essentiam (licet in Ecstasi, vel raptum spiritus eleuetur) nullus videre possit; hinc intellectuali lumine cogimur Dei aliquam similitudinem exprimere, ut iam hic supra c dictum est. Secundo, quod cum dicitur Hic, d & Nunc, hoc innuere; quod, quando, per species expressas, id est, per illas quas à nobis ipsis formamus, oportet operari; quod tunc ab infimis, quæque loco sensuum sint, incipiamus. Vnde ipsum Hic respicit aliquam intellectus extensionem, dimensionem, situm, vel vbi, secundum quod

a ut inf. Dec. 2. a. 10. b Psal. 44. c art. preced. d ut latius inf. Dec. 6. a. 1.

quod mysticus, vel supra, vel infra, antrosum, vel retrorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum se dirigit; vt quod intendit summum pulchrum diligendum, pro primo actu, & ingressu inueniat, inspiciatque. ipsum Nunc autem aliud non est, quam illud momentum in quo pulchrum vitali gustu, id est ex aliqua voluntatis bene-afficientia, complacentia, seu dilectionis suauitate, licet non sensibilibiter intensa, obtinet. sæpè enim diu multumque pia anima laborat, priusquam etiam omni adhibita industria, aliquam amoris perceptionem in voluntate consequatur.

Itaque specie propria Hic, & Nunc habita cum vitali gustu, dicitur intendere prospere, procedere, & regna. ac si diceret, iam, seu hoc momento disposita es, vt vnitiuo amore perfruaris: eo ipso enim quo de diuino Bono voluntas quidpiam gustat; ipse intellectus gustus illius speciem aliquam, seu similitudinem format, illuminatq; incipiendo; dum autem diiudicat illic etiam perficit, ac subtiliorem gustum exprimit per ipsam speciem; ac rursus dum expressum boni gustum amplius illustrat, diiudicatque, ad gustum magis subtilem penetrat. hoc autem tot iteratis vicibus præstando, ipsam vnionem, & fruitionem per actualem visum continuat, renouat, fouet, & diuino nutrimento alit supra omnem affirmationem, vel negationem. licet enim toties quoties per species expressas exercitium mysticum inchoatur, in initio aliquid (licet plus

minus, directè, aut sollicitè) de diuino bono, aut pulchro affirmetur, aut negetur; in progressu tamen, & quando per continuas actiones ad puram, atque ab omnibus inquirendi modis absolutam fruitionem pertingit, non amplius quidpiam affirmat, aut negat; sed ipsum actuale consortium diuinæ naturæ per actiones mentis digerit, & vt suum possidet: subindè etiam ad amoris excessum, intellectus operationes supprimentem, tanquam ad Ecstasim inchoatam, & modi-nesciam à Deo susceptionem penetrans; vt dein primo instanti quo intellectus restitutus fuerit, pulcherrimam diuini Boni speciem, ceu agalma, ad super-excellentes operationes exercendas, eliciat. vt latius dictum est *a* infra. ex his verò dictis apertè videtur primò, quod habita specie propria in Nunc præsentis, ipsa vnio facillimè, & iucundè foueatur, ac continuetur; scilicet solummodo videndo ipsum pulchrum, quod suo bono ita benè afficit, vt ex eiusmodi bene-afficientia, intellectus nouum pulchrum conspiciat, ad intimiùs ipsum bonum consequendum. & eo sensu dicitur, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis, id est, sicut pater æternus est principium operationis ad intra in sanctissima Trinitate, ita vt illa posita, aliæ facillimè subsequantur; ita quoque pia anima habito semel vitali gustu diuinæ naturæ, vt id à quo species ab intellectu formatur, dein facillimè ex fecunditate, & naturali vtriusque potentie intellectu

B b 2

a paraph. 9. a. 30

tellektus scilicet, & voluntatis inactione, fructuum amoris exercitium instituet, continuabitque. & hoc ipsum tantò attentius, quantò vitalis gustus fuerit magis intensus, & ad distractionis aliquam impertinentiam minus inclinatus, vel etiam ipsam actualem unionem interrumpens. Secundò quod mystica fruitio, in quocunque modo, aut statu perfectionis exerceatur, non per inhaesionem; sed per nouam, & perfectiorem intellectus, & voluntatis successiuam operationem, continuare debeat. intellectus enim, & voluntas, nisi nouis subordinatis actibus, quodammodo excitentur, non mouent, sed flaccescunt, remittunt, interrumpunt, deficient, & facillimè ad alia dilabuntur.

Et quidem circa remissionem, interruptionem, & deficientiam actualis exercitij unitiue fruitiois, in praxi quatuor contingere solent. Primum est, quod interea dum diuinum Bonum, intellectus suo pulchro illustrat, diiudicat, & bonum ipsum fouet, fouendoque perficit, subindè aliud ad amoris continuationem non pertinens occurrat, interrumpat, seu distrahat; ac tum quidem si distractio animum, vel appetitum non simul abripiat; facillè mysticus præuens amoris exercitium prosequetur: nèque plus impediatur, quam oculus ab eo quod intense aspicit, licet musca aliqua interuolet. Secundum est, quod aliquando id, quod in actuali unionem supremum habuit, pro Hic, &

Nunc perfectissimo quidem, seu maxime intenso actu remittat; ita tamen ut supremi actus sui, diuinæque sapientiæ quandam particulam, & vestigium, seu reliquias in imaginatione loco phantasmatis nil fædi habentis relinquat, & in aliquam diuinam dimensionem, scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, vel profundi resoluatur: ita ut intellectus agens speciem contemplationi iterum propriam facillè elicere, & unionis exercitium resumere, continuare, ac fouere valeat. Tertium est, quod ex abundantia virium superiorum quandoque tam fortiter vitalis gustus in vires inferiores defluat, ut per septimas, & menses aliquot facillè iucundeque actualem unionem resumat, contineat, foueatque; & tum est immanens unio, cum ex abundantia tali, pia anima non tam facillè ad propriam soleitatem, seu carentiam amoris dilabatur. quia verò eiusmodi impressio paulatim à vigore deficit, necessariò etiam oportet interruptionem amicabilis unionis subsequi, & de nouo ad aliam se disponere, ut iam supra a dictum est.

Quartam est quod non in actu immanente; sed transeunte (interea dum intellectus diuinum Bonum suo lumine perficit) paulatim ita deficiat, ut nulla amplius industria pro eo Nunc quidpiam amoris elicere possit: eo quod mensura donationis confortij diuinæ naturæ, quod est gratia,

vel orationis mentalis hora, quod est statuti, vel regulæ; vel distractio appetitum fortiter alio mouens, quod est fragilitatis humanæ; vel somnus, quod est naturæ; vel aliud obedientiæ opus, quod est meriti; finem imponat fruitioni præsentis. ac tum ex quacunque causa prouenerit, iterum vnionis exercitium ab intellectu agente (si à Deo specie infusa, aut voluntatis commotione non præueniatur) & per species expressas reincipiendum est, & tam diu reiterandum, quoadsque de notio vitalis gustus excitetur, qui sufficiens sit, vt simili modo amoris opus inchoari, perfici, foterique possit; licet subindè dies, & septimanæ absque vitalis gustus expressione transeant. cum autem nulla actio in suo summo diu dureret, & intellectus humanus in sua operatione admirabili volubilitate omnibus mobilibus mobilitior sit; sub vna orationis mentalis horula, hæc omnia quæ de vnus pro Hic & Nunc mysticæ operationis initio, perfectione, continuatione, excessu, remissione, interruptione, deficientia, & reinceptione dicta sunt; vel centenis vicibus contingere, palpare etiam poterit, qui interiora sua dijudicare nouit. quomodo autem supremæ vnionis exercitium, per donum sapientiæ species infusas, vel præuias voluntatis commotiones instituendum sit (cum hoc ordinariè non huius, sed transformationis status sit) & toto statu vnionis, mysticus sæpè interruptiones, & ad propriam soleitatem

dilapsus patiatur; sicque magis in actu transeunte fruitions contingat (licet ad septimanas, aut menses perseuerent) mysticum ad perfectiores operationes remittimus; a si quandoque præsertim in summo vnionis se illius praxis capacem iudicauerit. quia verò operationes exercitij actus, & penè momentaneæ, ab ipso interno vitali gustu, dependent; consequenter dicendum est, de ordinato modo maioris radicationis in charitate, secundum diuersas & perfectiores dimensiones; in quibus exercitium actualis vnionis, circumuolutiones suas peragit.

Praxis ad exercitium actus prout per donum intellectus, ordinate, & continuè perfectius aliter atque aliter mysticæ tum dimensiones, tum species formantur.

ARTICVLVS TERTIVS.

VT in charitate radicati, b & fundati, possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. ac si diceret: ô pia anima, in mystico exercitio (præsertim, quando post priuationem, per donum intellectus, infunditur gratia modi operandi supernaturaliter, id est, sine discursu, & phantasmatum vsu) charitatem seu gratiam sanctificantem, per quam ius & hæreditatem vitæ æternæ consequimur; pia, certa, & catholica fiducia præsupponi-

Bb 3

mus:

a inf. paraph. 9. b Ephes. 3.

mus; ac indies per multiplices virtutum, & diuini amoris actus, tanquam lineam quandam vitæ extendimus, ac etiam tam diu, in suauis consortio diuinæ naturæ radicamus; quoadusque in statu vnionis dono intellectus, in statu autem transformationis dono sapientiæ adornetur; vt deinde pura ac substantijs separatis conformi intelligentia, & in summo Bono complacentia, operari liceat. quia verò intellectus noster, non potest plura simul perfectè, & adæquato actu intelligere, quadripartita distinctio à Paulo suggeritur; qua etiam diuini pulchri, & boni notabiles differentias, ceu operationes diuinas ad intra; id est Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nobis repræsentat, secundum quod in infima parte intellectus, id est, in imaginatione; ipsius diuini pulchri, & boni interpretes quidam sunt, & particulae; à quibus ilicò intellectus in quantum sibi permissum fuerit, abstrahit, speciem aliquam puriorem, & à phantasmatibus magis absolutam fabricans. vt dein ipsum pulchrum subtili intelligentia consequi possit, & voluntati ad amoris bene-afficientiam porrigere, atque cum Deo actualem vnionem instituere, fouere, ac continuare.

Cum autem charitas per varios virtutum, & diuini amoris actus magis ac magis radiceatur; & operatio vitalis amoris diuini in voluntate percipi non possit, nisi quãdo per operationes intellectus voluntas sufficienter excitata fue-

rit; hinc profluit; quod primò quidè dimensiones scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profundi, & inde ab intellectu extractæ species, aliter atque aliter formandæ sint: scilicet secundum quod vitalis gustus diuini boni, pro Hic & Nunc excitari potest. iam verò circa hunc vitalem gustum excitandum pro actuali exercitio, duo ob stare diligenter obseruandum est. primum, quando aliquid in inferiori homine adhæret, quod sua blanditiæ sensualem partem, licet plus minus, captiuat; ita vt intellectus in sua operatione purum, & sibi proportionatum silentium à coadstante delectabili, aut pulchro, eorumque visu, tumultu, ac sono abstrahere; ad diuinas autem pulchritudines attentionem sufficientem elicere non possit. & hoc in praxi ita familiarè est toto statu vnionis, (præsertim antequam ad eius medium, aut summum pertigerit) vt frequenter mysticus exindè affligatur; & carentiam vnionis, solummodo humiliter patientia supplere habeat. Secundum verò, quod charitas non augeatur ex quolibet actu charitatis; sed plures actus, & moralem quandam durationem requirat. & ideò, si quis interea quod charitas nondum satis aucta est, eius gustu affici voluerit, is quoque desiderio suo necessariò frustrabitur; non quidem ratione meriti, & boni conatus; sed ratione vitalis gustus, qui non semper; sed cum (vt omnia alia) tempus suum acceperit, obtinebitur. hinc etiam dictum est infra à mystico in toto statu v-

à infra Ec 3. a. 8.

tu v-

tu vnionis non posse nec debere cauere relapsum ad propriam solitatem, qui tunc contingit quando nil amicitatis de Deo actualiter habetur; sed quodammodo vt in se solitariè habitat; quod amanti pœnosum est valdè: quia non habet in quo requiescat eius pes amoris, & affectus. laboriosum porro hunc, & imperfectum modum inquirendi, non semper esse necessarium; sed tantum, quando per species expressas proceditur, & pia anima non habet, à quo cum gustu, aut pulchro diuino incipiat; satis videtur ex ijs quæ hic *a* supra, & *b* infra (vbi vix vnquam defectum, aut carentiam actualis amoris patitur) dicta sunt.

Et licet circa primum, scilicet alicuius delectabilis, aut pulchri, operationes intellectum impediens, nullus ordo; sed confusa quædam libertas diuagandi, & alliciendi reperiatur: ita vt sæpè dum minus præuidet, ampliùs in varios aspectus & appetitus distrahatur. hoc tamen in secundo, scilicet in charitatis maiori radicatione locum non habet: illa enim quam maximè ordinata, & diuino quodam progressu intenditur. pro qua notitia sciendum est primò, quod intellectus humanus non possit simul vt pluribus speciebus perfectis, & consequenter nec omnia, quæ in Deo vno, & trino habentur simul apprehendere; vtque vel idèò quatuor dimensionibus Diuinitatem, & tres personas diuinas exponamus. Secundò sciendum est, quod ad esse tantum sequatur operari,

ita vt tam diu intellectus specie pro Hic, & Nunc propria, & ad vnionis mysticæ initium faciendum congrua debeat carere, quoadusque per varios aspectus eorum quæ sursum vel deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum, antrosum, vel retrorsum videntur; vitalem aliquam ipsius boni complacentiam in voluntate excitarit: tum enim ipso facto tanquam suauè gustans, illius vitalis gustus conditionem, naturam, & bonum suo lumine collustrat, perficit, & intensiorem semper vitalem gustum exprimit, vnionisque fruitionem fouet, & de diuino alimento prouidet.

Iam verò cum eiusmodi alimentum, sit spiraculum quoddam consortij diuinæ naturæ, quo mysticus in exercitio actus bibit de fonte aquæ salientis in vitam æternam; considerandum erit, quam ordinatè charitas non per quemlibet virtutis, vel amoris actum, sed per plures intellectus circumuolutionis, & amoris digestiones magis radiceatur, & in linea perfectioris operationis ampliùs extendatur. pro quo notandum est, quatuor hasce dimensiones tanquam regiones, situs, & amplitudines imaginationis ad consortium diuinæ naturæ consequendum, vt ex eo species mysticæ pro Nunc instanti propriæ elicantur, aliter atque aliter resultare. Et primò quidem latitudo, quæ diuinæ essentia comparatur, modicam viuacitatem, sensum, aut gustum diuinum præbet. cum enim essentia diuina non o-

pere-

peretur ad intra, sed operati ad personas sanctissimæ Trinitatis referatur; eo tempore quo intra dimensionem, seu spheram latitudinis pia anima versatur, non habet directè suam actionem dispositâ ad formandas operationes fructivas, seu pronuntiationes verborum mysticorum Dei bene-afficientiam cōtinuantes; sed magis inescationem, & perfusionem consortij diuinæ naturæ; ita vt gyret, agat, & operetur circa susceptionem & participationem summi Boni: oportet enim primò vitaliter habere, antequam liceat vitaliter operari; sicut etiam ad esse sequitur operari. vndè per impossibile posito, quod diuina essentia, absque actione ad intra diuinarum personarum maneret, eius felicitas inculta relinqueretur, nec per operationes ad intra perficeretur. omnes ergò actiones internæ, species, operationes, seu verba mystica, quæ tempore latitudinis formantur, sunt tantum modi indagationis, quo ita operatur, vt nondum habens bonum, prius illud acquirat; ac dein ad pulchras operationes sese erigat. sicut ille qui debilis est, prius cibum, & alimentum accipit ad vires resumendas, postmodum ad fortes quasque operationes se extendit. & hoc ipsum contingit toties, quoties post aliarum dimensionum, scilicet longitudinis, sublimitatis, & profundi, orbiculari modo ad conditionem latitudinis reditur: siue hoc ipsum fiat in ascensu, siue descensu; & horum supremis, medijs, vel infimis regionibus. at-

que ita mysticus ad exercitium, & vsum fructuum, ad nouum orbicularem motum magis in charitate radicandum, per innumerabiles, & vt ita dicam paruas, seu momentaneas operationes, aut verba mystica, acquirit per gratiam, quod Deus habet per naturam, iuxta illud Ioannis: *a* Pater sancte, sanctifica eos in veritate, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. & eo tempore (sicut Christus Dominus habet substantiam diuinæ personæ) ita mysticus habet vsum, & fructum consortij diuinæ naturæ.

Iam verò priusquam alia de dimensionibus dicamus, singulariter aduertendum est primò, quod maxima latitudinis remissio, & ad naturalem dispositionem reductio, vt plurimum in infima regione sentiatur: cum in illa etiam ipsæ actiones dimensionum soleant remissius agere, & hominem ad nuditatem propriam, sui que, (vt ita dicam) paruitatem redigere, vt consequenter propriæ egestatis inuitu, humilitatis altiora fundamenta iaciat, & gratiæ diuinæ continuationem reuerentiori cultu imploret: dum ad naturæ corruptæ radicem reuertitur, & se saltem mala perpetrare posse, agnoscere, & perferre habet.

Secundò habetur quædam longitudo, qua scilicet Pater æternus in longitudine dierum, & Nunc æterno omnem latitudinem diuinæ suæ essentiæ intellectu suo comprehendit; eamque illustrat, eleuat, & perficit, & Filium sibi

æqua-

a Ioan. cap. 17.

æqualem generat; ita & mysticus ipsam communionem consortij diuinæ naturæ adeptam intellectu agente, lineali longitudine erigat in altum, & quasi luminosam faciat, quamdiu intra longitudinis huius spheram innumeris operationibus, seu verbis mysticis gyrat.

Tertio habetur quædam sublimitas, qua in Diuinis Filius Dei ab intellectu Patris in Nunc æterno generatus, est figura, & gloria Patris. hinc etiam mysticus in sublimitate, in intellectu patiente format verbum mentis, dicendo totam rationem, & naturam summi boni proportionaliter adepti; in sphaera, seu dimensione sublimitatis magis eleuata, quam fuerit regio, vel situs longitudinis; idque innumeris etiam operationibus, seu verbis mysticis, interea dum sublimitatis circulus perficitur.

Quarto tandem habetur quoddam profundum, quo in Diuinis Spiritus Sanctus sub ratione boni, seu amoris ab utroque Patre scilicet, & Filio procedit. & ideo etiam mysticus post sublimitatis spheram, pondere amoris, ab utraque dimensione, scilicet longitudinis, & sublimitatis collecto impetu suæ actiuitatis, ad centrum, & profundum diuinitatis subsidit, & totam inferiorum potentiarum capacitatem, quasi dimissa felicitate complet; circularem motum, ac perlustrationem diuini esse, & operari per innumeras operationes, seu verba mystica absol-

uit; & vnum quodammodo verbum intermedium dicit, vt iterum simile dicat: quousque repetitis vicibus, vnum quodammodo integrum verbum vnius status, vel descensus omnia de Deo affirmando; vel ascensus omnia de Deo eminenti negatione transcendendo, absoluat; & hoc ipsum in singulis dimensionibus, indies pro Hic, & Nunc per innumerabilia, & etiam ipsi practico inobseruabilia prolata verba, seu operationes mysticas: eo semper spiritualis perfectionis augmento, vt quanto amplius ad summa status vnionis, aut transformationis conscenderit, tanto quoque subtilius, & Angelis magis conformibus modis, species mysticas eliciat, & purius Deo vnietur. id quod ad oculum videre est, quando scilicet ab vna dimensionis sphaerula, puta latitudinis ad longitudinis, aut à longitudinis ad sublimitatis, aut à sublimitatis ad profundi circumferentiam per continuas operationes mouetur; & circulum harum dimensionum, absoluit, & renouat: quousque vnum integrum status & ascensum, vel descensum pertranseat. simul iucundè discernens in longitudine differentiam actiuitatis latitudinis, & in sublimitate, longitudinis, & in profundo sublimitatis; nouis semper interea, & præclarioribus modis, circa diuinum Pulchrum, & Bonum circumuolutiones spiritaliter agens.

Quod si verò hæc à simpliciiori alioquo, priusquam in industrijs mysticis

Cc

diu

diu versatus fuerit, non satis perfectè intelligantur, perfectioris dilectionis ordinem à Domino præscriptum consideret, cum ait, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. cor autem maximè in amoris diuini progressu à Deo accipiendo, tam docile est, & extensibile, sicut immensa latitudo maris; & ex tota anima tua, quæ ratione secundum longitudinem quandam motu obliquo erigitur; & ex tota mente tua, qua spiritus super omnia motu recto sublimatur; & ex omnibus viribus tuis, quæ in profundo delectantur, & motu circulari in punctum maioris radicationis in charitate declinant; vt exinde de nouo alius similis amoris circulus, per innumerabiles momentaneas pro Hic & Nunc operationes, circumuolutiones suas peragat; similibus dimensionibus ipsam imaginationem ab inferioribus rebus, & impertijs blandè abducens: quo ita ratio per intellectum agentem speciem propriam eliciat, vt ab intellectu patiente perficiatur, & in amoris productionem pertingat. Si verò adhuc planioribus verbis explicari volueris, audi Beatam Catharinam Genuensem [si quæris, inquit, quid videam, aut sentiam, Respondeo; aliquid primo supra intellectum, dein aliud eo maius, & rursus isto quidpiam grandius, semperque posterius magnitudine, & numero ita excedit prius, vt concludam non posse, vel minimam scintillam referri; siquidem tam magnum,

& excellens est, vt quidquid in me diu afferrem, nil omnino esset.] vt autem tot momentaneæ, & pro Hic & Nunc transeuntes, ac inobseruabiles operationes, & ordinate procedere, Deo perfectiùs coniungere, atque vt singula collecta in thesauro quodam congregato iuuare ad oculum constet illi, qui in praxi sedulus fuerit, hinc consequenter dicitur.

Quemlibet statum supernaturalem non tantum diuidi in tres substantiales regiones, sed etiam harum singulas subdiuidi in varias circulares operationes seu gradus quosdam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ascensiones in a corde suo disposuit in valle lachrymarum. Ac si diceret, ô pia anima durum profectò erat Caino, quando à facie Domini proiectus, vagus & profugus super terram egrediebatur, & ingrediebatur. quapropter vt hunc dolorem suum aliquantulum leniret; habitaculum suum constituit ad orientalem plagam contra paradysum omnis boni locum: vt eiusdem viciniùs memor, & vel à longè suauissimum eiusdem odorem percipiendo, leuiùs ferret omne malum quod iustissimè patiebatur. & certè eiusmodi factum non tantum prudens; sed & mysticum est apud illos, qui sic amissionem status innocentie pro-

a Cap. 23. vita sua. b Psal. 83.

prolongant; ut tamen de modo Deum purè amandi acquirendo, supra omnia solliciti sint. & idè considerantes hanc vallem lachrymarum, & vitæ præsentis miserrimam conditionem, quæ tantoperè Deum amantem animam in quæque remotissima à Deo protrusit; ex innata & per mystica exercitia confortata dilectione, ascensionibus quasdam in corde suo disponunt, ut iterum in hac vita Deum vicinè apprehendere, eique adstare possint.

Quo in genere recogitanda est illa Scala, in qua Iacob vidit ascendentes, & descendentes Angelos: verè enim tanquam terrestres quidam Angeli sunt, qui præter Deum alium non admittunt amatorem, solidiores mystici, in modo supernaturaliter operandi constituti. cum autem distantia cæli à terra (vel ipsis oculis testibus) ingens sit, & spatium totius nostræ vitæ, in qua lineam diuini amoris ab infimis vsque ad summos dilectionis modos erigimus, significet; cum primis obseruandum erit quam ordinato, & moderato progressu hoc fiat. Quapropter sciendum est quod sicut in cælesti Hierarchia tres sunt ordines, & horum singuli in tres alios subdiuiduntur: sic in summe ordinato mystico modo, tres esse substantiales regiones in vno statu modi supernaturaliter operandi, scilicet supremam, mediam, & infimam, & contrà, nec non in singulis harum varios esse progressus secun-

dum quos quaque dictarum regionum incipit, proficit, ac perficitur; & dum hoc fit in quotidianis operationibus, varios circulares motus seu gradus quosdam post multos dies considerari.

Et hæc ut clariora fiant, sciendum est momentaneas, & ipsi mystico inobseruabiles operationes, per quas fructio diuini amoris acquiritur, continuatur, renouatur, & fouetur; secundum notabiliores saltem vicissitudines, & progressus optimè posse notari, & discerni clarissimè: quod videlicet aliter sua interiora inueniat in infimo alicuius status, regionis, aut gradus, in quibus remissè, & secundum quandam latitudinem nil singulare continentem viuit; & aliter quando directè per operationes vitaliter benè afficientes secundum longitudinem in altum, seu secundum quandam lineam suæ interioritatis ad superiora erigitur; & aliter quando in alto sic constituitur, ut admodum iucundè in toto suo esse, viuere, & operari in Domino delectetur; & aliter quando paulatim hisce extensionibus remittentibus, quasi circulari motu perfectò, denuo ad inferiora, tanquam ad profundum aliquod declinat, & omnia illa superiora deserit, in quodam nunc collecto subsistens: quoad utque iterum similibus motibus perfectiùs diuinitatem perlustrando, magis intimè circumuolutiones suas incipiat, promoueat, & absoluat.

Ad huius porrò ordinati progressus notitiam hoc loco similiter pia anima scire debet, primo, ipsam lineam maioris radicationis in amore diuino, non augeri per additionem gradus ad gradum; sed per maiorem radicationem in ipso amore diuino, dictamque lineam non quolibet actu amoris augeri; sed post multiplicationem actuum singularium, quia alioquin nobis sunt inobseruabiles. Secundo ex parte nostra, & sese in amore diuino exercentium, dari gradus quosdam, seu notabiles quosdam progressus interiores, qui à nobis possint cognosci, ac discerni. vnde & nos in practica descriptione in quolibet articulo notabilem aliquam perceptionem, & mutationem tractamus, quæ quidem antequam in praxi per varias operationes digeratur; vnum gradum incipiendo à quadam latitudine, per longitudinem & sublimitatem vsque ad profundum aliquod pertranscundo, absoluet; & antequam talem gradum perficiat, vnum, duos, tresue aut plures paucioresque menses effluxisse, vel manibus palpabit, qui interiora sua diiudicare didicerit.

Et horum quidem graduum, regionum ac statuum ignorantia vnica & verissima causa est; quod plerique mystici, etiam in statu modi supernaturaliter operandi constituti; nullum suæ vel alterius interioritatis ordinem, auxilia, modosque ad Hic & Nunc sese integrè accommo-

dandi, scire possint; quodque in quadam interna cæcitate obambulent, ac sæpè mirentur, vnde similes vicissitudines proueniant, nec non tristi quadam resignatione hæc Deo committant, & suo loco stare permittunt, vix aliud discernentes quam quod aliquando benè, aliquando optimè, aliquando verè misere operationes mysticæ, succedant. hinc ergo semel pro semper monere voluimus, vt diligentissima habeatur consideratio ordinatæ vicissitudinis, quæ à nobis per tales gradus exercentur: nullum enim dubium est si hoc fiat, quin ad oculum videat, quam omnia ordinatè etiam in interioribus fiant: hoc autem scire tantum confert solatij, & quietis spirituales, vt nulli non practico satis persuaderi possit. dato enim quod in oratione mentali res non succedat pro voto; si hoc ipsum solummodo sciatur ex ordinato interno progressu fieri, tantum dabit solatij ipsum non habere, quam alioqui, cum pro voto omnia succedunt.

Hæc tamen quæ de ordinata graduum circulatione dicimus, vix locum habent in statu priuationis; ibidem enim facillè omnia turbantur, & fusque deque feruntur; ita vt tum optimus ordo, sit nullus ordo; dum omnia vitiosa, & Deo dissimilia excutiontur, ex parte saltem nostra, nullo ordine seruato. quod etiam non vsque adeò mirandum est,

mediata

cum status Priuationis sit tantum im-
mediata dispositio ad status, & modos
supernaturaliter operandi. quapropter
pia anima tanquam alter Angelus in
hac lachrymarum valle ascensiones in
corde suo disponat, & in quadam scala
mentali per orbiculares motus alicuius
talis gradus ascendat, & descendat, di-
uinam bonitatem infinitam, finitis qui-
dem, sed multiplicatis actionibus, per-
lustrando, & amando; secundum illa &
similia quæ inferius latius deducimus,
per omnes paraphrases earumque arti-
culos. quod priusquam fiat, cum varia
accidentia fragilitatis humanæ, sicut
etiam extra ordinariæ quædam perce-
ptiones mentales, subindè nonnulla in-
terijciant, vt in ordinata operationum
consecutione quandoque debeat my-
sticus non consueto modo procedere;
hinc consequenter subijciuntur

*Regulæ, axiomata seu maxima quadam ge-
nerales mysticæ; ad exercitium omnis
actualis operationis, modi su-
pernaturalis.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vbi spiritus Domini, ibi a libertas. ac si
diceret, ô pia anima, sicut plures
libros faciendi nullus est finis, ita etiam
multoquæ minus, per leges, institutio-
nes, regulas, aut mysticas doctrinas, in-
effabiles, & multifarij modi, quibus
Deus cum sibi chara anima, aliter at-
que aliter agit, complecti poterunt;
quamuis largo tractatu explicentur.

hinc pro actuali exercitio orationis
mentalis, puncta quædam notabiliora,
& praxi summe vtilia, tanquam maxi-
mas quædam generales, axiomata, aut
regulas hoc loco, vbi de operationibus
pro Hic; & Nunc congruis agitur, ex-
trahere volumus.

Et quidem primo sciendum est, ma-
ximam esse dependentiam spiritus no-
stri à spiritu diuino, iuxta illud psalmi-
stæ. quo ibo à spiritu tuo, b aut quo à
facie tua fugiam. si ascendero in cœ-
lum tu illic es, si descendero in infer-
num, ades. si tumpsero pennas meas di-
luculo, & habitauero in extremis ma-
rit etenim illuc manus tua deducet me,
& tenebit me dextera tua. &c. ac si di-
ceret, vbicumque fuero, tu ô Deus ibi
es, & prior ibi habitas. cum enim Deus
creauerit hominem non tantum ad
imaginem, sed etiam similitudinem
suam ad imaginem quidem per intel-
lectum, & voluntatem; ad similitudi-
nem autem per tres operationes, intel-
lectus scilicet agentis, patientis, ac amo-
ris ab utroque causati; non potest non
pia anima, etiam necessitate quadam
naturali, ad Deum, vt ad suum princi-
pium, & finem suæ beatitudinis incli-
nari. præsertim cum in profectu spiri-
tuali, per dona supernaturalis scientiæ,
& maximè sapientiæ, sanatum animum
consecuta fuerit. tum enim tanquam
ex radice, ab ipsa animæ essentia (in
qua gratia Dei habitat) per prius in
voluntatem consortium diuinæ natu-
ræ; (vti proprius anhelitus, & spiracu-
lum

lum vitæ) dein participatiuè ad omnes potentias, & omnem circumferentiam totius compositi humani, diffluet; amicitia Dei singulari ratione, facta participat.

Secundo, licet hæc dependentia spiritus nostri, & diuini maxima sit; non tamen videri Dei essentiam in hac vita; etiam in Ecstasi, aut raptu. nam vel Adamum in sopore, vel Moysen in ostensione omnis Boni, vel Paulum in raptu Dei essentiam vidisse; in sacra doctrina difficulter admittitur: quanto minus in alijs visionibus, & illustrationibus hisce inferioribus, ita vt hinc necessariò sequatur, loco claræ visionis essentia diuinæ, substituendas esse species, seu similitudines quasdam diuinas, quæ Diuini pulchri, & boni sint quædam simulacra, nil fœdi habentia.

Tertio; species has mysticas ad tres principales differentias redigi; scilicet expressas, resultantes, & infusas. expressæ sunt, quæ ab intellectu agente formantur, quando non passiuè, sed actiuè, se habet ad diuina, ita vt pia anima sit principale operans, vt in actus exercitio, à dissimilitudinibus primo absolui, dein charismatibus cœlestibus perfundi valeat.

Quarto, hæc duo etiam in statu vnionis, & modo operandi supernaturaliter ad mensuram doni intellectus, sæpè difficilia esse. Primo quidem, quia intellectus tam citò non potest se expedire ab vsu phantasmatum, & imaginum, puta diuini parui, magni; aut di-

mensionis alicuius scilicet latitudinis, longitudinis, sublimitatis, profundi, vel vbi, scilicet ita Hic, vt non sic alibi; vel situs, sursum, deorsum, antrosum, retrorsum, sinistrorsum, dextrorsum, & similibus. quæ necessariò deferri debent, priusquam pura contemplatio initium sumat. Secundo verò, quia nondum in quotidiano exercitio adæquatè potest procedere: plus enim intelligit, quam actu possideat, & æquè perfectè diligit, per donum namque intellectus ordinariè à longè prius videt, quod intra aliquot septimanas, aut menses tandem vt intimè vnum secum, possidet. Sicut autem hæc duo circa species expressas in statu vnionis sunt difficilia, sic in statu transformationis sunt facillima. ibidem enim vitalis gustus confortij diuinæ naturæ, per donum sapientiæ continuò præexistens, ab intellectu in instanti infatigabiliter, & admodum iucundè inspicitur, abripitur, & ab amoris præstantia facillè adimpletur; ita vt omnes imagines deserat, nec plus intelligat, quam diligit, & è contra; nisi quando ab amoris impetu intellectus operationes supprimuntur.

Quinto, resultantes species sunt, quando in actuali vnione consueque intellectus pertingit, vt mentis actiones deserens; vi, & impetu amoris extra proprium statum operandi dimoueat, dein postquam in optimo modo huius vitæ à Deo accipiendi aliquantulum hæserit, in primo instanti quoad mentis actiones iterum reuer-

uersus

uersus fuerit, excessiui iam habiti diuini boni similitudine in se coexistentem, verbum pronuntiat; vt in secundo instanti illicò intellectus agens iam dicti verbi pulcherrimam speciem fabricet, sicut autem toties, quoties, pia anima ad amoris excessum dimota, cum ad solitas mentis actiones dimissa fuerit, infallibiliter præstantissimum agalma, & subtilissimam de Deo similitudinem format; ita quoque toto suo esse, viuere, & composito experitur, nullas in Deo bene-afficientias per species à nobis expressas, hæc vel à longè accedere.

Sextò, infusæ sunt, quæ à Dei infusione dependent. & à nemine alio imprimi possunt. idè etiam cum sint excellentioris ordinis, piam animam viciniùs, & intensiùs Deo coniungunt, & aliquando per saltum promouent; ac citiùs in progressu spiritali proficere faciunt, quam plures aliæ operationes à nobis excitatæ. & quia à Dei gratuita benignitate immittuntur, cum suum præstiterint, tanquam umbra, cum declinat, auferuntur: vndè etiam statum non mutant, sed cum disparuerint earum effectus, impressiones, vitalesque gustus; ad ordinarios operandi modos redeundum erit. hæc porrò infusæ, & à Deo impressæ species subindè conceduntur, vel vt mala huius vitæ fortiùs ferantur, vel vt virtutum maiorem perfectionem causent, vel etiam, vt amicitia diuinæ maiora signa suscipiantur.

Septimò, non tantum speciebus re-

sultantibus, & infusis; sed etiam à nobis per mentis actiones expressis, cum à phantasmatibus, & dissimilitudinibus depurata, & diuino odore vitaliter imbuta fuerint, vtimur loco luminis gloria; ita vt sicut sancti in cœlis, per lumen gloriæ ipsam Dei essentiam vident: sic etiam nos per similes species Deum, secundum conceptum absolutum, saltem in abstracto, & prout per se est summum pulchrum, & Bonum; simplici, & substantijs separatis conformi intelligentia iucundè videamus.

Octauò, omnia quæ multifariè apud mysticos leguntur, ad duo principalia redigi. primò vel ad statum, id est, prout pia anima vniformiter diu, multoq; tempore, vt plurimum operatur, verbi gratia, ad mensuram doni intellectus, vel sapientiæ. cum enim Deus via affirmationis, eminenter sit omnia in omnibus; & via negationis, sit eminenter nil omnium eorum quæ sunt: priusquam per vnum (verbi gratia) ascensum, omnia de Deo transcendentia spiritus neget; aut per vnum descensum, omnia de Deo vitali bene-afficientia, affirmet; ac singularibus seu (vt ita dicam) paruis, & minutis mentis actionibus, digerat; necesse est vt persuuant dies, anni, & tempora, vndè hisce positis, quodammodo in mysticis actionibus stare dicitur. Secundo referrì vel ad instantaneas operationes, prout scilicet pia anima in exercitio actus, pro Hic, & Nunc diuinis vnitur; & hoc sæpè admodum est laboriosum, quod in statu aliquo

aliquo non est: semel enim adepto vno statu supernaturali, (verbi gratia vnionis) habitualiter, & ad infimas, medias, ac supremas spiritus regiones, conformiter ordinariè se habet; in actus autem exercitio, cum spiritus in instanti operetur, & liberum arbitrium volubili inconstantia feratur; nisi attentio per delectabile præsens, & possessum ligetur, ad quæuis obuia & alio distrahentia, diuagatur.

Nono, Exercitium actualis vnionis incipi non posse, nisi obtenta aliqua ex supradictis speciebus; aut extraordinaria voluntatis, à Deo commotione præuiè facta.

Decimo, in omni operatione, quæ post interruptionem, verbi gratia, somni, distractionis, aut operis alicuius indifferentis, primo incipitur; quatuor præcipuè consideranda esse. primum est auersio ab omnibus, quæ cogitauit, amauit, odiuit, aut quidquid demum Deus non est, vel ad ipsum proximè, & in Nunc instanti non perducit. vt autem talis auersio fiat, oportet omnium istorum tam validè obliuisci, ac si nihil in toto mundo esset præter Deum, & se. Secundum est formatio alicuius speciei, seu similitudinis diuinæ per intellectum agentem: cum enim ipsam diuinam essentiam, in hac vita clarè videre non possimus, Deus se fingit ad imaginem menti contemplandam. Tertium est quando intellectus patiens, summi Boni pulchrum videns, attentione ligatur, & rationes ipsius Boni intimius aspicit. Quartum est, quan-

do ab utroque intellectu in voluntate complacentia, non de alio aliquo, sed de summo Bono exprimitur, expressa renouatur, fouetur; vt frui concedatur. Et secundum hæc omnis actio mystica in initio operationis, primò purgatur, secundò illuminatur, tertio perficitur; idque faciliè, & ex naturali fecunditate intellectus agentis & patientis.

Vndecimo, Intellectus agens dum auersione ab ijs quæ Deus non sunt, & conuersione ad ea, quæ Dei sunt, se se purgare nititur; sæpè hoc ipsum præstare nequit, idque vel quod aliquid in creatura delectabile, attentionem aliò trahat; vel quod speciem pro Hic, & nunc elicere non valeat. quod esto laboriosum, & molestum sit; attamen bonis actibus, quibus contestatur quod Deus sit solus quem diligit anima eius, vtiliter ad patientiæ meritum, & subsecuturæ fruitionis præmium, sese disponit.

Duodecimo, Has operationes intellectus, earumque purgationem, illuminationem, & perfectionem; fruitioni arcani amoris non aduersari; sed ad contemplationis quietem pertinere, otium falsum cauere, diuinum Pulchrum, & Bonum minutis quibusdam actibus gustare, ac digerere, cum enim fruitio ad vim appetitiuam pertineat, appetitus autem circa infinitum Bonum, & Pulchrum versetur, insatiabili quadam esurie, mentis inescatio peragitur, & renouatur, per spiritus instantaneas operationes; attamen continuationem fruitionis non interrumpentes:
licuti

sicuti nec visus à suo intuitu impeditur; licet oculus in momento, & primo instanti clausus sit, in secundo instanti verò, iterum apertus.

Decimotertio, quatuor esse notabiliores vicissitudines, seu phæras quasdam cœlestes, in quibus spiritus instantaneas suas operationes, peragit prima est, per modum fundi, seu centri, intra se, in quo sub ratione collecti, circa æternum Bonum, & Pulchrum versatur; idque ex primo principio concreatę dilectionis, & inclinationis ad Deum. ita vt vel maximè hinc fluat admirabilis illa ad fundum, non tantum inclinatio, sed etiam facillimè inhæsiō otiosa, operationes actuales, sine quibus nil boni agitur, suffocans. atque idè circa hunc fundum sic versari quisque debet, ne spiritus operationes, in fundo silēti ratione procedentes, ante tempus suis functionibus destituat; sed ex fundo spiraculum vitæ, & primæ ad Deum dilectionis gustum capiens, spitualibus operationibus perficiat, subtilizet, & sub vno intelligentiæ radio, conformiter ad substantias separatas eleuet. quemadmodum etiam sol, sic radios in globo, & centro suo continet, vt simul etiam vsquequaque eos diffundat. Secunda est, per modum spiritus ad extra, & supra; ita vt suum vbi, & situs, seu extensio, in cœli altitudine residere videantur; & tum omnia transcendens, frequenter leuabit se super se. Tertia est adæquata dispositio, ita vt nulla sit differentia inter superiores, & inferiores potentias, sphæras, vbi, situsque, sed

in toto composito adæquatè diuina benè afficiētia, perfundatur. Quarta est, quando remissè incedit, & nil singulare de diuina amicitia, neque in fundo, neque in spiritu, neque in toto composito percipit; sed tota harmonia consentiente, & quieta, est quod est; totali quidem inclinatione sese Deo porrigens: in non autem vitali habere, etiam Deum reuerenter adorans, inquirens, ac circumspiciens, si illum, qui vndique est, sub vitali vnione, & comunione inueniat, foueat, possideatque.

Decimoquarto, simili inquisitione facilè, ac etiam in minimis quandoque charitatis, aut pietatis operibus, piam animam inuenire, quo mediante de nouo amoris exercitium reincipiat. in modo namque operandi supernaturaliter, maximè per donum sapientiæ, diuinus radius, pijs mentibus semper benignè collucet; ita vt omnia quæ sunt, lumine diuinæ bonitatis resplendant, tanquam atomi, qui nubilofo sole non videntur, at in radijs solis non tantum videntur; sed etiam tam splendidi sunt, vt licet alioquin præ sui tenuitate nequidem videantur; tunc lucida pulchritudine mirè oblectent. hinc cum admiratione videre est, quod sacra doctrina, & prærogatiua sanctitatis à Deo dignati præstantiores homines, post altissima quæque tam scholastica, quam mystica; in elementis fidei, & pietatis, verbi gratia, in oratione dominica, aut salutatione Angelica, indicibilem deuotionem exhalent. & tum vel bestia

agri glorificabit Dominum, ac ut creatura Dei, infinitæ eius potentiæ memoriam subministrabit.

Decimoquinto, quando operatio aliqua à suo summo, seu intenso actu deficit, non semper ilicò à prorsus noua operatione reincipiendum esse, sed ordinariè reliquias cogitationis diem festum agere, & vestigia quædam suæ eminentiæ in inferioribus potentijs relinquere: quæ etiam suo modo afficiant, & perfici velint, ne autem quis inaniter reliquijs hisce inhæreat, quantum in se fuerit, horum obliuisci, & de nouo incipere conetur, ac si nil istorum habuisset; quantumuis hoc ipsum ingratum esse videatur. interea verò si adhuc vitaliter, & non inaniter; sed cum suauis mentis gustu reliquiæ sublimium afficiant, ab illis reincipienda erit actualis unio, quoadusque non amplius vitaliter moueant.

Decimosexto, sicut in hac vita non est finis largitionis gratiæ diuinæ, maioris radicationis in charitate, renouationis sapientiæ supernaturalis, aut similibus donorum, quibus Deo chara anima adornatur; sic etiam nullus finis

est, magis perficiendi mysticos status, regiones, dimensiones, vbi, situs, ac instantaneas operationes, nec aliarum nouarum pulchritudinum à nemine ex toto explicatarum. in his enim omnibus, tanquam in spiritu Domini summa est libertas, ut meritò spiritus spirer vbi vult, & vocem eius audias, & nescias, vnde veniat, aut quo vadat: id quod tamen sic non dicitur, tanquam si mysticorum scripta vtilia, imò & necessaria non sint; sed ut pia anima, sic omnibus, quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, vtatur; ut simul animaduertat, postquam similibus probè instructa fuerit, infinitum campum inexplicabilem diuinorum secretorum, adhuc superesse, ut in eo continuò spiritus reclusus in imis visceribus renouetur, & semitam prudentiæ, & eloquij mystici addiscat. hisce porrò ad exercitium actus, necessariò interfertis, ad status unionis mediam regionem (in qua proprius spiritus, diuinis illustrationibus perfunditur) declarandam, consequenter

procedemus.

(***)

21/4 43.

ET

ET SECVNDO
DE IIS QVÆ FIVNT IN MEDIO
VNIONIS,

PER ELEVATIONEM ET ACTIVITATEM
PROPRII SPIRITVS.

PARAPHRASIS SEPTIMA.

ET (ossa) spiritum non habebant: & a dixit ad me, vaticinare ad spiritum, vaticinare sibi hominis, & dices ad spiritum: hæc dicit Dominus Deus. à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. ac si diceret, sicut res ardua est spiritum remittere, etiam in formatum corpus, vt iterum vitali motu, viuat, sentiatque, vt vel ideò etiam bis ad spiritum vaticinare iubeatur; quoniam folius Dei est potentia spiritum corpori vnire, & vitali operationi de nouo restituere. pari modo virtutis diuinæ esse videtur, vt spiritus antea in statu priuationis torus arefactus, de nouo secundum vitalem Dei gustum reuiuiscat; & sibi proprijs operationibus moueatur, eleuetur, ac illustretur; conformiter ad ea quæ in medio status vnionis contingunt, prout ex sequentibus constabit, &

- I. Quod propria operatio quamdiu in medio status vnionis versatur, sit ructus mysticæ exercitatio.
- II. Dum mysticus lumine diuino perfunditur, animum concipit noui, & supernaturalis modi operandi.
- III. Quando amplius mysticus ascendit, tanto facilius aduertit actiuitatem proprii spiritus.
- IV. Instantanea operatio spiritus actiuatur ex vario luminoso visu.
- V. Fruitio vitaliter afficiens semper magis eleuatur vsque ad spiritum Diuinum.

D d 2

ARTI-

a Ezech. 37.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in medio status vnionis versatur, sit ructus mystici exercitatio.

ERuctauit a cor meum verbum. ac si diceret; ô pia anima, ex ipsa essentia tua, quæ locus est gratiæ, & vitæ æternæ, per prius in voluntatem diuinæ quædam bene-afficientiæ scaturiunt, & per suam eructationem intellectui obijciuntur, vt dein per operationes intellectuales, quasi in spiritualem subtilitatem euaporent. *b* Vndè etiam [ructus est occultus quidam flatus, qui ex feruore alimenti erumpentibus bullis exhalat] huiuscemodi porrò verbum utique bonum est; cum sit primi Boni, seu ipsius diuinæ naturæ communiō; & ipsam voluntatem, seu partem affectiuam adhuc ponderosam, & à molestijs toleratis, quasi madentem, exsiccet, allevietque per eructationem ergò cordis hic accipienda est vita æterna, prout mediante gratia modi operandi supernaturaliter, se se manifestare incipit: non quidem per modum fundi, ita vt intuitus, & reflexio, aut habitatio, vel initium communionis diuinæ ex corde sumatur, vt in initio status vnionis fiebat; sed multò intimiùs, & per modum cuiusdam esse, habere, & sentire, in occultissimo suæ interioritatis ante formales intellectus, & voluntatis operationes; ac vt in intimo vo-

luntatis suum in Deo bene-affici, esse, & exstere nouit, ac sentit. & hic est modus nouus, qui supernaturalis dicitur, & essentialis: eo quod eius fomentum, & radix, id est, gratia in ipsa animæ essentia habitans, potentiam voluntatis per prius seu donum sapientiæ bene-afficiat; vt deinde pro exercitio actus ad perfectionem doni intellectus supernaturalis, vitalis species diuini amoris fabricari possit, ad fruitionem actualem incipiendam, continuandam, ac perficiendam.

Eo ergò tempore quo mysticus in medio status vnionis versatur, continuò ex ipsa sua intimitate quædam verba eructat, non quidem adhuc perfecta, & articulata cognita; sed imperfecta, quæ tamen complacentiam de Deo ad gratam notitiam porrigant: cum eo etiam, vt quantò magis ad superiora eleuatur, tantò capacior reddatur ad visus, & dictiones particulares suæ vitalis in Deo bene-afficientiæ; circa finem eleuationis, & actiuitatis proprii spiritus, clarè videns totum suum inferiorem hominem sub se, spiritum autem diuinum supra se situari, spiritu proprio locum medium tenente. hinc etiam quantò magis ad proprii spiritus actiuitatem, & subtilitatem communionis diuinæ naturæ per prius, id est, per gratiam ex ipsa animæ essentia in voluntatem diffluentes, eleuantur; tantò & faciliùs, & penitentiùs solebit spiritus, & sentitur, & sub-

a Psal. 44. b Basil. & Hieron.

& subtilius ingrātam facit machinam inferioris hominis: quæ tamen proprii spiritus soleitas, & ad actus transcuntentes diuinæ bene-afficientiæ carentia, humillima submissione ad ordinationem diuinam æquè indifferenti, & contenta voluntate, ac ipsa amicabile Dei vnio, degustari, ac tolerari debet, non tantum dum medium status vnionis percurritur, sed etiam dum in summo spiritus diuinis vnionibus dignatur. ea enim natura est fruitionis totius status vnionis, vt tam diu calorem, & lumen recipiat, quamdiu primo, & summo Bono, in Nunc præsentis, & instanti per vnionis vinculum adiungitur: ilicò proprijs ponderibus, tanquam proprijs malis perfusa, quando illa disparuerint: sicuti luna ipso facto, quo soli non opponitur, corporis proprii tenebras, & quasdam passiones recipit: ita vt vel icò etiam pia anima, nondum eo quo gliscit animus particulari ordine, amorem intra se profectui valeat. prout magis articulatè constabit ex sequentibus;

Dum mysticus lumine diuino perfunditur, animum concipit noui, & supernaturalis modi operandi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam ipse de spiritu suo a dedit nobis. Ac si diceret; ô pia anima, licet eo tempore quo in initio status vnionis verlabaris, per susceptio-

nem gratiæ supernaturalis in Deo maneres; hoc ipsum tamen adhuc non poteris agnoscere, cum vsus illius gratiæ nondum cōcederetur. prius enim cum sit quod animale est, non quod spirituale; oportuit primò ab odore, & reliquijs perpeffa angustia expediri. iam verò cum naturæ diuinæ communionem in teipsa animaduertas; verè cognoscis, quod ipse in te, & tu in ipso sis; quoniam de spiritu suo tibi dedisse, in teipsa sentis, ac gaudes, animumq; concipis, ad nouam & realem illam diuinam familiaritatem quam toto tempore priuationis durante, tot amoris passionibus inclamasti, ac esuriendo, ac sitiendo gemitibus inenarrabilibus desiderasti; iuxtà illud, die. *b* noctuque æstu vrebam & gelu, fugiebatque somnus ob oculis meis.

Recordaberis ergò, ô pia anima cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus per desertum illud interni horroris, & vastæ solitudinis, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur; vtrum scil. custodires mandata illius, an non. vtque recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt ambules in vijs eius, & timeas eum. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumque, & fontium: in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi. ita vt impossiterū per spiritum S. suum, de quo ipse dedit tibi, in ipso sic maneat,

D d 3

neas,

neas, vt etiam simul cognoscas, quæ à Deo donata sunt tibi; siue sursum, siue deorsum, siue dextrorsum, siue sinistrorsum, siue antrorsum, siue retrorsum impetus spiritus direxerit: eo tamē moderamine, vt paulatim in lumine diuino, & calore spiritus (quem gratia diuina in ipsa animæ essentia residens per prius in voluntatem sufflammat) perficiaris, & ad superiora ascendas; ac etiam, vt ad soleitatem proprii spiritus, seu ad illam diuinæ vnionis carentiam; (quæ subindè tam nudam, ac solitariam animam constituit, ac si de Deo, eiusque amicissima vnione nil vnquam percepisset) frequens toto statu vnionis fiat relapsus: & his quidem conditionibus concomitantibus, postquam te afflixit, & probauit, ad extremum misertus est tui. ne scilicet diceres in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc omnia mihi præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, quodque modus ille supernaturaliter operandi, à sola gratia Dei dependeat, omnibusque illa à Deo non dignatis, inaccessibleis sit; quocumque licet ingenij acumine, aut scientiæ genere, sint instructi.

Et certè quando pia anima nouam, & vitalem speciem vnitiui amoris receperit, hinc quidem præ gaudio in lachrymas resoluitur; & lætatur pro diebus quibus Deus illam humiliavit, & annis, quibus vidit mala: illinc autem sibi ipsi indignatur, quod tempore priuationis non magis patieati corde, &

à Psal. 118.

corpore sustinuerit omne malum, quod sibi Dominus sua absentia, & passionum inordinatarum ictibus intulerat; dignumque censet, vt nemo ad tam vicinam cum Deo vnionem admittatur, qui non prius transiens per ignem, & aquam huiusmodi purgationum, ad purum excoctus fuerit. Iam verò loco præambuli, & perfectæ dispositionis omnibus gratijs in Dei laudem repositis, ad actus exercitium, illic ipsum benè in Deo affici iucunda cogitatione assume, illustra, & renouanda foue, refoue, & pro actuali vnione retine, quam verò moderato progressu diuinum lumen accrescat, magis elucet ex sequentibus.

Quantò amplius mysticus ascendit, tantò facilius aduertit actiuitatem proprii spiritus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Os meum a aperui, & attraxi spiritum. Ac si diceret, ô pia anima, sicut ille quem coarctat spiritus vteri sui, non in cubiculo inclusus; sed foras ad liberum aërem se confert, & ibidem os suum aperit; vt aërem, & halitum attrahat, imo ipsa altiora loca conscendit, vt plenis buccis respiret, & arctitudinem intrinsecam, ad spatiosissimam cœli amplitudinem prouocet; quo ita ceu à maximo pondere, alleuari possit: ita quoque agas oportet cum gustu diuino, quem quasi in fundo, seu corde vterunque arcto, & ponderoso absconditum gerbas, non enim in hoc fundo

fundo tali quali in hessione concludi debet, cum non amplius per modum fundi; sed per modum spiritus, & eleuationis procedendum sit. & ideo etiam gustum spiritus, quem Deus tibi dedit, non tam in fundo, & corde, quam in secretissimo spiritus; & prout spiritualissimè voluntatem inibi latibulum suum posuisse animaduertes, & secundum tenuem illam diuinæ naturæ perceptionem, pro vt modo in spiritu contingit, absque crassa illa, seu inclusa fundi operatione, sicut in statu priuationis, aut etiam in alijs præcedentibus fieri solebat, accipi debet.

Aperi ergò os tuum, ô pia anima, & capacitatem spiritus ad superiora erige; vt ibi spiritum, & vitam haurias, idque tantò amplius, quantò magis te in spirituali regione ascendere animaduertis. cum enim quotidie gratia vitæ æternæ in animæ essentia residens, per prius in voluntatem, seu vitalem Dei gustum diffundatur; necessariò ipse intellectus, ex abundantiori beneficentia voluntatis, actiuatur amplius: ita vt species mysticas ad actualis amoris vnionem, eiusque continuationem facillimè possit exprimere, & ad superiora spiritu, vita, & habitatione eleuari, liberoque, & ab inferiori pondere soluto spiritu magis, magisque in superioribus dilatari. non tamen ita fixè; quin ad soleitatem proprii spiritus, seu nil actualis amicitatis habere; licet non ad crassam fundi captiuitatem, subindè dilabatur.

quam variè autem, & actuosè spiritus, & illustretur, & instantaneè operetur, iam consequenter dicendum erit;

Instantanea operatio spiritus actiuatur ex vario luminoso visu.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vidia cælum nouum, & terram nouam. primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est. Ac si diceret, ô pia anima, eo ipso quo libero, & soluto spiritu ad superiora ascendisti, vt ibi tanquam in sphæra propria cœlestes illas regiones, ac mentales situs perlustrares; nouum quoddam cælum spiritualis solatiij, & fruitionis inuenisti: & terram nouam, seu realem in spiritu bene-afficientiam, longè distantem à prima terra, & fundo crasso, quo in corde tædioso conclusa, per noctes quærebas dilectum. rectè ergò dicitur primum abiisse cælum, quando scilicet in initio vnionis versabaris, & modicum luminis, quod sat difficulter etiam suscipiebas, ac pöderosam terram fundi tui adhuc sustinebas. quæ quidem terra etiam abiit, cum ex nunc incipias videre inferiorem hominem nonnihil sub regione spiritus constitutum, & quasi aliud à te, (secundum quod in spiritu viuere te sentis) distinctū; quodque vt improporionatum inferiùs, & tanquam tertium aliquod relinqui debeat. vndè etiam dicitur, mare iam non

non est; quia nimirum inquietudo illa contristans, tanquam impossibile foret ab illa derelictione liberari, aut te tua non rectè agere, aut diuina vnione te indignam esse, iam non est; imò contrarium bene affici, & secundum spiritum Deo viuaciter vniri, omnem priorem miseriam sustulit.

Tu ergò, ô pia anima, vide cœlum nouum, in eo quod vario luminoso visu, nunc sursum, nunc deorsum, finistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum, actiuitate proprii spiritus feraris; & terram nouam essentialis illius complacentiæ videas, quam etiam quieta voluntatis commotione, in diuinæ vnionis communionem diffundi aduertis, cum autem admiratio, quæ hoc loco ex magna actiuitate spiritus prouenire solet, cogitando videlicet vndè tanta tamque varia pulchritudo resplendeat, varijs dubijs inquietet; scias velim ô pia anima, varios luminosos visus, qui hic erumpere consueuerunt, confortij diuinæ naturæ quosdam interpretes esse; ac quasdam particulas; quæ intellectui, id quod summè spirituale, & indicibile in ipsis est, inferiori quodam modo vestigia sua imprimunt, & ad operationes facilius exprimendas, continuandasque se dimittunt, ac loco phantasiæ, sacras quasdam imagines, infimasque diuini pulchri similitudines adferunt; quod ad actus exercitium commodissimum est, cum enim nostra operatio intel-

lectualis à sensu, & à magis sibi notis incipiat, & hoc loco pia anima non tam passiuè, quam actiuè ascensionis cordis sui semper eleuet, habet hos varios luminosos visus, seu specula perpulchra loco sensuum, vt ex illis fecunditas intellectus, commodè species proportionatas elicere, & bonum cognitum amplius extendere possit, viuatque erigente, & supra inferiora dominante aspectu. quam porrò hæc omnia per maiorem semper radicationem in charitate depurentur, & magis superioribus coniungantur, modò consequenter dicetur,

Fruitio vitaliter afficiens semper magis eleuatur vsque ad spiritum diuinum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Memoriam a abundantia suauitatis tua eructabunt. Ac si diceret; ô pia anima, sicut ructus ex imis visceribus stomachi, commotione quadam ad superiora ascendit, & per os in ventum, & aërem diffunditur. ita quoque vitale illud in vnione diuina bene affici, ex intimo voluntatis, ad superiores regiones spiritus, & mentales situs continuè ascendit, spiritus proprii actiuitatem magis subtilizat, & ad spiritum diuinum approximare facit; idque per memoriam abundantia suauitatis diuinæ, quæ

quæ propter continuum incrementum spiritus in salutare Dei exultare facit. & cum memoria rei præteritæ, rem faciat esse præsentem, pia anima moneatur, vt quando actualis vnio diuina non adest, & anima ad solitatem propriam labitur; ita vt tristè affici in seipsa sentiat (ob actualis vnionis carentiam) non idèo turbari debere; quandoquidem status vnionis ea sit conditio, vt frequenter actualis vnio interrumpatur, & anima solitariè, ac si nil vnquam horum experta fuisset, seipsam sustinere debeat. & idèo memoriam abundantia suauitatis eructabunt, id est, nondum tibi ex toto, ô pia anima, propria est illa diuini spiritus affluentia; sed cum abest; quasi desiderio memoriæ renouatur, & reactivatur in abundantiam suauitatis, & noui actus vnitiui.

Tam diu ergò pia anima hic eructat, & eructando eleuatur, quoad vsque spiritui diuino magis vicina fiat, quod tunc erit, quando tria quædam in se distincta aduertit: primò quidem, quod inferiorem hominem videat infra se stare. secundò verò in spiritali parte, seu in viuacitate affectiua, & intellectiua in superioribus regionibus iam se versari. tertio autem proximè supra se adhuc superesse spiritum diuinum, seu amicabilissimam illam regionem, quæ diuinitatis odore plenè referta, vberiori, & subtiliori coniunctione, futura proponere videtur. & tum ad ea quæ sequenti paraphrasi, de vnione spiritus diuini in summo deducuntur; transeundum erit.

ET TERTIO

DE IIS QUÆ FIUNT IN SUMMO PER VNIONEM DIVINI.

PARAPHRASIS OCTAUA.

HÆC dicit Dominus, cum dederò a spiritum meum in vobis, & vixeritis: & requiescere vos faciam super humum vestram: scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci. ac si diceret: quamuis maxima sit felicitas, à Deo spiritum, & vitam recipere, & bonis diuinis proprio spiritui congruis perfrui; cum tamen ipse Deus dederit spiritum suum in vobis, & ex eo vixeritis, vt plus de vita Dei, quam
 Ee de pro-

a Exech 37.

de propria vita habeatis, & spiritu Dei adhærendo vnus cum eo vester fiat spiritus vitali vsu, & bene-afficientia: tum certè scietis vos viuere, hancque gratiam, & actum cum Deo vnionem à sola supernaturali locutione, & spiritu diuino factam, & datam, clarè scietis, sentietisque, prout in sequentibus dicitur. Et *Primò*

Propria operatio quam diu mysticus in summo vnionis versatur, est spiritus proprii, cum spiritu diuino arcta coniunctio.

- II. *In summo spiritus proprii, infimum spiritus diuini attingitur vitali affi-
cientia.*
- III. *Non tantum fundus; sed etiam spiritus proprius subtus stare debet ob ar-
ctam cum Deo vnionem.*
- IV. *Tam diu in spiritu diuino eleuatur quousque ad summum eius perti-
gerit,*
- V. *In summo tandem subsequitur subtilissima disparentia spiritus diuini, &
dispositio ad statum Transformationis.*
- VI. *Gratia Transformationis ad mensuram doni sapientia supernaturalis in-
funditur in instanti.*
- VII. *De spiritali profectu, duratione, & transitu ab vnionis ad Transforma-
tionis statum.*

ARTICVLVS PRIMVS.

*Propria operatio quam diu mysticus in
summo vnionis versatur, est spiritus
proprii cum spiritu diuino arcta
coniunctio.*

VT sint a vnum sicut & nos vnum
sumus. Ego in eis, & tu in me.
ac si diceret; ô pia anima, eousque tan-
dem diuinus amor procedit, vt vnum
cum Deo per summi boni communi-
cationem effici possis, & hoc ipsum non
tali quali generali modo; sed actuali
& particulari, scilicet per verba mysti-
ca, seu operationes vnionem cum di-
uino spiritu causantes, & continuantes.

ita vt in Patre & Filio, & Spiritu sancto
sit conuersatio tua; non amplius ita re-
motè, vt in medio huius ascensus, seu
regione proprii spiritus; in qua ipsum
diuinum Bonum, & Pulchrum magis
ad mensuram cognitionis, & fruitio-
nem indè consequentem, quam vici-
nam possessionem, portigebatur: iam
verò ad summam regionem conscen-
dens, non amplius vt supra; sed vt iux-
ta, & quidem in sublimitate spiritus in-
timè, præstantique modo, ipsi Bono,
& Pulchro cohabitabis in sublimi re-
gione; quam quidem in medio ascen-
sus, & proprii spiritus, vt altè supra te
aspiciebas, continuò ad eius vicinita-
tem anhelando.

Cate-

Cæterum hæc felicissima vnio, quæ est cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto, non ita citò suam perfectionem consequitur; sed paulatim magis ac magis, ceu spongia præstantissimum, & maximè odoriterum balsamum imbibit. vndè primò spiritus proprius in summo infimum spiritus diuini attingit; dein ex continuo ascensu in spiritum diuinum, tam spiritum proprium, quam inferiorem suum hominem subire stare intuetur; vtrumque autem tantò amplius infra manere; quantò magis in spiritu diuino mysticus eleuatus, ab his se elongari, & expediri conspiciat: in summo tandem suæ capacitati proportionato, arctissimam cum Deo vnionem consecuturus: subinde tamen ad proprii spiritus soleitatem relabens. quousque finaliter, in silenti spiritus serenitate, disponatur ad suscipiendam gratiam transformationis, seu doni sapientiæ, ad vltiora supremæ vnionis arcana degustanda. interea verò dum hæc fiunt, diligenter legenda, & practicanda erunt, quæ superius de trinarum operatione, & verbi, ex verbo mystico pronuntiatione dicta sunt. ex nunc enim ibidem expositas operationes pro actuali exercitio melius quam vnquam aliàs intelligere conceditur. quæ autem circa notabiliores regiones contingant, interea dum circa summum vnionis versatur, iam articulatè in sequentibus dicemus,

a sup paraph. 6. 1. Corinth. 6.

In summo spiritus proprii, infimum spiritus diuini attingitur, vitali afficientia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ b adheret Domino, vnus spiritus est. ac si diceret: ô pia anima, non tali quali modo agendi, & procedendi, quo scilicet vult piger, & non vult, ad felicissimam cum Deo vnionem pertingitur; sed qui adhæret Domino vnus spiritus est, per constantem scilicet, & puram in Deum tendentiam, prout in initio, & medio status vnionis fieri dictum est: quo ita continua vicissitudine internarum operationum melius perfectiusque, ceu diaphanum ad luminis transparentiam suscipiendam disponatur. & quia supremum infimi, & infimum supremi; hinc in summo illo spiritus proprii ipsam spiritus diuini regionem duntaxat ingredi incipit, & eiusdem vitali afficientia, tanquam vestimento indui: ita vt in semetipso spiritus proprius sentiat vicinitatem consortij diuinæ naturæ. in tantum, vt inter sese, & Deum nihil distare videatur; quin pro sua capacitate, & Nunc præsentis vnione, id quod Deus habet per naturam; hoc ipse habeat per arctam fruitionis communicationem, & diuino benè affici: ex quo etiam sequitur, quod diutius, facilius, & frequentius sua interiora diuinitus perfusa, & à relapsu

E e 2

ad so-

ad soleitatem proprii spiritus liberiora,
sentiat.

Itaque propter arctam illam quam incipit cum spiritu diuino vnionem: id quod tam diu optauerat in omni actione, Deo adhaeret vitali coniunctione, & quæ indè sequitur fruitione; in spiritali gaudio & pace. iuxta illud Apostoli: *a* Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. subindè tamè relabens ad soleitatem propriam, & carentiam diuinæ vnionis, ac si de illa nil vnquam habuisset. quantò enim altius ad diuina pertingimus, tantò ad propria relapsi, illa nostra lutea magis auersantur, & subtilius illarum vilitatem agnoscunt, vel à longè solum odorem illarum abhorremus. iam verò pro actus exercitio, non tantum ipse relapsus ad soleitatem propriam, & actualis vnionis carentiam; sed etiam ipsum in Deo bene affici, pro primo, & vt perfecta fiat dispositio, transcendenda sunt, & ipsum diuinum Bonum, & Pulchrum, prout omni habere, & frui præstat, aspiciendum est: vt dein perfectioribus operationibus circumuolutiones mentales agendo, pura intelligentia, & complacentia vnum cum eo fiat. Vitalem porò hanc afficientiam omnia quam intimè penetrare, & perficere, consequenter dicemus,

*Non tantum fundus; sed etiam spiritus
proprius subtrus stare debet, ob arctam
cum Deo vnionem.*

b Rom. 14. b Apoc. 11.

ARTICVLVS TERTIVS.

A *V*diuerat vocem magnam de cælo dicentem, *b* ascendite huc: & ascenderunt in cælum in nube. ac si diceret, ô pia anima, immensa vnionis eleuatio, quæ se vitaliter percipere facit, quod diuina magnificentia sit super ea quæ sunt, & quæ non sunt; ob intimam vicinitatem in dies auctam, quasi magna voce clamare auditur, tanquam in aure vicinè audientis: ascende huc, in cælum nimirum, cum toto eo quod in spiritu optimum habes, & sentis: ita vt non tantum inferior homo ad instar tenebrôsæ nubis subtrus stare debeat, sed etiam ipsa proprii spiritus regio iam inferior videatur.

Sit ergò aspectus ille qui videt fundum, & proprium spiritum infra se, & cælum, seu regionem spiritus diuini vt intra se, tanquam præambulum, & imperfecta operatio, seu verbum ab omni imagine nondum deputatum; dein pro initio ad exercitium actus, pura intelligentia præclari, summiq; Boni vitaliter afficientis; in qua dein gustando, & videndo quam diu fieri potuerit, iteratis, & ex ipsa hac vnionis præstantia succedentibus operationibus, fruitio continuanda erit; quousque ex integro fiat relapsus ad soleitatem proprii spiritus. quod quidè tantò ratiùs fit, quantò altius in regione spiritus diuini ascenditur; sicut etiam non ampliùs est tanta difficultas in deserendis omnibus intermedijs, & imperfectis operationibus,
prius-

priusquã ad puram intelligentiam summi Boni in actus exercitio admittatur; & adæquatè seu ita purè diligit, sicut intelligit, & contrà, ita scilicet purè intelligat, sicut diligit. sic porro pia anima constituta, qualiter ad Nunc præsens, fructuosè se habere debeat, consequenter dicemus.

Tam diu in spiritu diuino eleuatur quousque ad summum eius pertingerit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Qui diligit a me, diligitur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. ac si diceret, ô pia anima, ea est amoris vnitiui præstantia, vt tandem ad summum sibi proportionatum pertingat, & in ea quantum fieri potest, Deus seipsum manifestet, per tam cœlestem ascensum; indies magis ac magis diuinæ naturæ consortium distribuendo, idque distinctis operationibus ad intra, quibus fructio mystica continuatur.

Formatio itaque præambuli, seu imperfectæ quidem operationis in se; perfectæ tamen dispositionis ad puram operationem; sit; quod pia anima de centrali regione, vel vbi, nihil ampliùs sciat; spiritus proprii autem mentalem situm, vt sub se videat; spiritus autem diuini regionem, vt sibi intimè diffusam, possideat: dein pro actus exercitio pura intelligentia, summi Boni præ-

stantem bene-afficientiam, vt intimè sibi vnitam comprehendat. quo facto ipsa spiritus fecunditas bonum illustrans, vitalem illius bene-afficientiam subtiliorem, & penitiùs amandam perficiet: & ex magis intensa fruitione, magis continuò illuminabit. hæc enim duo in sua vicissitudine non tantum amoris continuationem; sed etiam subtiliorem, & substantijs separatis magis conformem, reddunt. & eo sensu dicitur, qui diligit me, diligitur à Patre meo, id est, sicut diuini boni, & naturæ operandi principium est Pater, qui bonitatem suæ naturæ per intellectum suum comprehendit, & intelligendo similitudinem sui perfectam, id est, Filium suum generat, ac ex vtroq; Spiritus Sanctus, vt pondus perfectum diuini amoris procedit: sic quoq; per hoc quod intellectus, per donum intellectus, habitualiter præexistentem in voluntate diuinæ naturæ communionem actu intelligit & intelligendo illius similitudinem format, pariter ex vtriusque actione intimior fructio amoris producitur: vt de nouo per continuationem, productus amor ab intellectus actionibus digeratur, subtilioremq; amorem producat: atq; ita consequenter; & quidem ita, vt à parte rei, & spiritus fecunda operatione, longè meliùs, & citiùs hæc omnia fiant, quam ipsemet practicus intelligat: hæc tamen, & similia paulatim desinere, & quantumcunq; spiritualia sint, tanquam umbra quæ declinat disparere; constabit ex sequentibus,

Ec 3

In

a Ioan. 14.

In summo tandem subsequitur subtilissima disparentia spiritus diuini, ut dispositio ad statum Transformationis.

ARTICVLVS QVINTVS.

IN a die illa dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. ac si diceret, ô pia anima, quod circa vesperam sole occidente lumen deficiat, noxque succedat, mirandum non est; quod autem in ipso die, & in die luminis, id est, quando serena est aura, tenebræ inducantur, hoc valdè mirandum est, & insolitum quid præfagire consuevit. ita iure merito tibi euenire poterit, cum in summo spiritus diuini, in quo ingens lumen, & splendor maximus super caput tuum fulgebat, constanter deficere adnotaueris. constanter, inquam, quod enim ordinariè fiat relapsus ad soleitatem proprii spiritus, succedatque carentia amorosæ vnionis, pro actus exercitio: aut etiam amoris intensio, vel remissio, seu etiam accretio, vel decretio luminis diuini contingat; hoc toto vnionis ascensu perquam familiare est: quod autem absque vltiori incremento, paulatim magis, ac magis deficiat, & in subtilem interioritatis vacuitatem abeat, hoc constantem defectum inducit, & ascensum ad suum summum pertigisse declarat: cum eo tamen, vt nullatenus ad crassam inferioritatem, in qua alias in initio priuationis, scilicet magna præui-

debat,ur anxietas, desolatio, & totius hominis in infimis, & supremis vitibus conturbatio, prolapsus contingat; sed solummodò disparentia omnis præhabiti splendoris, & luminis à spiritu diuino. cuius quidem disparentiæ, & vacuitatis hæc potissimum causa videtur esse; vt pia anima continuo subtilius euacuetur, & tota interioritas tanquam aër serenus inhabitetur, vt ilicò orto sole doni sapientiæ, illud ipsum in instanti, vt purissimum diaphanum suscipere valeat, ad initium status Transformationis modi descendenti.

Sit ergò, ô pia anima, eiusmodi vacuitas, & in tuo summo (quod etiam cæli altitudines superexcedere videtur) actualis amicabile vnionis disparentia, & non habere, tanquam præambulum, ac dispositio ad perfectam operationem. Vndè pro exercitio actus, post notitiam illam, qua scitur omnia præterita disfluere indies, & tandem ex toto deficere. Primus aspectus sit, subtilissimam vacuitatem videns quidem; at secundus sit, reflexio ad summum bonum, & pulchrum, prout omni vacuo subtilius est: atque hinc ex intellectus fecunditate excitata specie, seu similitudine summi boni, & pulchri, initium dabitur actualis operationis ad vnitivam fruitionem excitandam, & continuandam; cum eo tamen, vt ipsa fruitio, seu amoris bene-afficientia, non sit intensa, nec abundans, ita vt in vires inferiores possit aliquid influere amicebiler. est enim huius disparentiæ ea

con-

conditio, vt continuò cum admiratione tam subtilis vacuitatis, animum suspensum teneat, & tam diu, ac per menses fortè aliquot, quid tandem subsequendum sit; circumuolutiones suas agat; dein pro actus exercitio per reflexionem ad summum bonum, vnionis fruitionem subtilissimè tantum, idque silentiosè admodum in spiritu duntaxat inchoet, & perficiat; quousque admirabili lumine Transformationis perfundatur, vt iam consequenter dicemus,

*Gratia Transformationis ad mensuram
doni sapientia supernaturalis in-
funditur in instanti.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Factus a est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum; ubi erant sedentes. ac si diceret, ô pia anima, priusquam Discipuli Domini, & qui cum illis erant replerentur Spiritu Sancto, iussi sunt sedere in ciuitate, & expectare, b donec induerentur virtute ex alto. quod quidem tempus scilicet ab ascensione Domini, vsq; ad Pentecosten congruè denotat illud tempus, in quo pia anima, postquam summum status vnionis conscendit; subtilissimam illam spiritus diuini disparentiam, vt potè immediatam dispositionem ad statum Transformationis, experitur. vt dein, sicut materia vltimatè

disposita, in momento cum Paulo, què subito circumfulsit lux de cælo, suscipiat vsum doni sapientia, vitaliter afficiens.

Et ideò dicitur, factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis. quia nimirum, post talem tanque reuerentialem expectationem, imò illa adhuc purissimè, & intensissimè durante, subito illabitur viuacissima primi, & summi illius suauitas totam replens domum, seu compositum hominis, secundum superiores, & inferiores vires; ita vt etiam ipsum corpus, caro, & sanguis eius exultent in Deo saluari suo, vtque nec capillus capitis suo modo non collætetur: idque perseueranti bene-afficientia, absq; vllò timore deficientia, aut interruptionis, quæ carentiam fruitionis inducere possit; saltem ad multos annos, atq; hinc de cætero tanquam de ventre, & imis visceribus spiritus, fluent aquæ viuæ, salientes in gaudium vicinum vitæ æternæ, seu visionis patriæ. quod quidem est felicissimè experiri nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, & super omnipotentem delicijs affluit, atque ad Deum ipsum eleuat faciem suam, prout latius dicitur c infra: & pia anima magis indicibili modo experietur in se ipsa. & hæc priusquam explicemus, iam consequenter dicendum est de ijs, quæ in perfectionis progressu, & de mora, quæ in praxi trahitur, priusquam dono supernaturalis sapientia à Deo dignetur,

De

a Art. 2. b Luc. 24. c Par. 10.

De spiritali profectu, duratione, & transitu ab vnionis ad Transformationis statum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Quasi luna a plena in diebus suis lucet. ac si diceret, ô pia anima, sicut luna quo magis crescendo lumen recipit, eo amplius sui perfectionem, & pulchritudinem consequitur; donec tandem integrè compta sit. ita quoq; in spiritali progressu status vnionis contingit. in initio enim vnionis à vasta mole illa sublunari, seu tenebrarum fundo, ac priuationis odore, & reliquijs sese expediuit; in spiritu autem proprio, ac medio vnionis ascendente, continuo accrescentiam luminis à consortio diuinæ naturæ suscepit, vt semiplena; hic tandem mediante spiritali profectu, in summo spiritus diuini, tanquam luna plena, alba, & serena lucet, totamque animæ circumferentiam benigno splendore afficit.

Et hæc priusquam integrè, & illa particulari ad-uel decrefcentia fiant, secundum ordinatas particulares operationes, seu verba mystica in continuatione fruitionis vnitiui amoris, idque ab infima, & spiritus proprii, ac vsque ad summam spiritus diuini regionem; apud diuersos quatuor, quinque, aut sex annos circiter labi, obseruatum est. ita vt septimo anno diem requietionis, & felicissimæ Transformationis consequatur. iuxta illud, septimo anno sab-

batum erit terra. verum toto tempore exercitationis mysticæ computato, si pia anima circa duodecimum annum, ad statum Transformationis pertingeret, censeari posset, satis fideliter gratia mysticæ cooperata esse. & sic nihil habet probabilitatis, & à praxi omnino alienum est, dicere; statum perfectorum ordinariè incipere, vel toto *b* vel maiori vitæ tempore. & idè Taulerus propria experientia, apud plures alios, etiam iuuenes statum perfectorum cõperisse, iam vel olim testatus est. plures tamen annos interlabi, priusquam ab infimo (massæ ab originali iniuitia corruptæ) per medium, ad summum allicuius status ascendatur; aut contra à summo, per medium ad infimum descendatur; ex eo prouenit, quod charitas magis radicetur, non ex quolibet actu charitatis, seu amoris mystici, sed ex actibus multiplicatis, per moralem aliquam durationem temporis. Vndè etiam ea, quæ unico articulo describuntur, priusquam ad alia, quæ subsequenti articulo dicuntur, practicè pertingat, fortè menses aliquot absumentur. articulata enim illa, & maior radicatō in charitate, minutissima quæq; auida cupiditate inescat; ita vt accurata praxis industria, prout tam diu durat, & semper occultissima inuenit, multò facilius, & ad praxin commodiùs familiari colloquio, quàm calamo suggeratur. hinc etiam quæ in tota praxi ponuntur, non nisi notabiliores dispositiones, & operationes respiciunt. circa quas pia ani-

ma

ma tam diu suas circumuolutiones agit, quousque de vna notabili mutatione in vno articulo descripta, ad aliam sequentis articuli possit transire.

Ad transitum verò, quod attrinet, ad statum Transformationis, ille non conceditur, nisi quando pia anima in sublimi illa deficientia (quæ tamen est absque vlla molestia anxietatis, aut turbationis) continua humili reuerentia, ad primum Ens, & Bonum accrescit, quousque compleantur dies assumptionis eius, &

a *hica. 6.*

gratia doni sapientiæ cum splendore diuino in momento repleatur. vt dictum est supra. a & hoc dono tandem adepto cum pia anima optimè disposita sit ad scrutandum etiam profunda Dei; hinc ipsas operationes pro Hic & Nunc per totum statum Transformationis practicandas, consequenter apponimus: postmodum ipsum statum, pro vt in summo, medio & infimo se habet, explicaturi.

P R A X I S

FORMATIONIS OPERATIONVM
SEV VERBORVM MYSTICORVM AD EXERCITIVM ACTVS, STATVS TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PER DONVM SAPIENTIAE, SVPRA AFFIRMATIONEM, VEL NEGATIONEM.

PARAPHRASIS NONA.

DAmihi Domine sedium tuarum a assistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum labore. ac si diceret, ô pia anima, quæ ad Dei imaginem per duas potentias, scilicet Intellectus, & voluntatis, & ad similitudinem, per tres operationes internas, scilicet intellectus agentis, & patientis, & amoris ab vtroque expressi, creata es; noli existimare tibi sufficere, quod supernaturale donum sapientiæ tandem aliquando à Domino obtinueris. & ideò postquam dixerat, da

Ff

mih

a *Sap. 9.*

mihî Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, superaddit, vt mecum sit, & mecum laboret. non enim ad perfectam diuini amoris vnionem consequendam, satis est, ipsum Bonum habere; sed magis oportet ipsum Bonum interno opere, & prorsus iucundo labore quodammodo masticare, masticando autem intimiorem gustû boni, & illustriorem claritatem pulchri exprimere, at pro Hic, & Nunc actibus mentalibus renouare, fouere, & vt diuinum alimentum sibi retinere. Secus enim habere, & non vti, modicum prodest, eo etiam sensu dicitur, vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. ac si diceret, gratia Dei, quæ per Spiritum Sanctum (ad mensuram doni supernaturalis sapientiæ) diffusa est in cordibus nostris, præstantissimum est vnguentum, quo animus sanatus, facillimè, iucundeque omnia nouit, quæ ad arcanum amoris exercitium requiruntur. nam præexistente in ipsa animæ essentia, gratia Dei summè intensa, & per prius ab essentia in ipsam voluntatem habitualiter, per donum sapientiæ eminenter diffluente, cum gustu vitali suauitatis diuinæ; ipse intellectus hoc ipsum non tantum ordinariè cognoscit, illustrat, diiudicat, sed etiam operationibus suis digerendo, amorem adauget: quoadusque ab actiuitate sua, amoris vehementia suppressus, eminentioribus diuinis perceptionibus locum præbeat. quæ vt in actus exercitio ordinatè contingant, per operationes particulares (& gradus a quosdam) toto statui Transformationis inferuientes, breuiter iam hîc dicendum erit. breuiter, inquam, quo enim penitiùs ad summa diuina pertingimus, eo minus dicuntur. idè Deo debetur laus, & silentium. laus quidem, nam pia anima in his constituta ad Beatorum imitationem, nil nisi quod Dei laudem, & reuerentiam contineat, agit. silentium verò, quia gratia sanati animi in diuinis participationibus felicitas, tam Deo vicinè, & beatè adstat, vt nec verbis, nec signis, prout illam in intimo spiritus intense percipit, edicere valeat. sic ergò ponitur,

- I. *Praxis operationis ad exercitium actus, secundum quod à præexistente vitali gustu diuina natura, perfecte incipit, perficitur, continuatur & remittit.*

II. Præ-

a vt latius habetur infra par. 6. a. 4.

- II. Praxis ad exercitium actus formationis Verbi mystici remissione, aut interruptione, etiam quacunque interueniente.
- III. Praxis ad exercitium actus pro ut ad mentis excessum penetrat, & ab illo remittendo diuinum lumen ad formationem Agalmatis resultat.
- IV. Praxis ad exercitium actus, pro ut per species infusas, prauas voluntatis commotiones, aut superexcellenti aliqua perceptione mentali, incipit, perficitur, excedit, & ad formationem Agalmatis remittit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Praxis operationis ad exercitium actus, secundum quod à præexistente vitali gustu diuina natura, perfecte incipit, perficitur, continuatur, & remittit.

Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. ac si diceret, o pia anima, prius gustandum est voluntatis suauitate, quam intellectus ad operandum possit videre; quid enim nisi vacuum videat intellectus, si id, quod videt, non prius diuina benevolentia affectum sit. & ideo in statu Transformationis descendens, per donum sapientiae sanatus animus, habitualiter continuo gratiam (quæ est vita æterna in ipsa animæ essentia, residens) per prius in voluntatem vitali gustu effluere percipit, quo ita dein intellectus sua operatione, id quod vitaliter accepit, illustret, penetret, diiudicet, & ad purioris dilectionis perfectionem deducat: id quod faciendo mysticam fruitionem in exercitio actus, absque imperfectis operationibus, incipit per intellectum agentem,

atque ilico perficit per intellectum patientem. & hoc ipsum ordinariè facile, iucundè, ac etiam inaduertenter, ex intellectus naturali fecunditate, & operandi ordine. sicut integrè sanus post grauissimum morbum, suam sanitatem habendo, possidendo, & gaudendo naturaliter intelligit diiudicatque, & hoc non tantum à literato; sed etiam multoque magis à rudi, & simpliciori aliquo, cum huius intellectus tot speciebus scientificis multiplicatus non sit, & consequenter ad aliud aliquid impertinens dilabendum, tam actuatus non reperiat: Vnde etiam ob idem donum sapientiae, quod habitualiter cum pia anima perseverat, & collaborat; vix vnquam ad soleitatem, aut carentiam consortij diuinæ naturæ prolabitur toto statu Transformationis descendens; licet ad decem annos duraret. ipsam autem fruitionem continuat, dum summi Boni pulchrum inspiciendo renouat, & quicquid ex Bono sibi extractum habuerit, quodammodo digerit; idque tam diu renouatis profundioribus actionibus, quoadusque in Nunc præsentem, à vitali extensione remittat fruio. quæ si de in ulterius foueri non possit, pro eo

Ff 2

tem-

2 Psal. 33.

tempore remittit : non tamen ita ,
 vt mysticus ad soleitatem , & tædiolam
 carentiam confortij diuinæ naturæ
 cadat ; sed quod intensiores actus
 fruitionis non semper æquè intendi
 possint. Vndè etiam , licet actua-
 liter fruitio non possit per operatio-
 nis actus intendi ; remanet tamen di-
 uina bene-afficientia in ordinario gu-
 stu , circa quem reintuendum , & fo-
 uendum intellectus detinetur , vt de-
 in iterum cum libuerit , aut per oc-
 cupationes alias permissum fuerit , a-
 ctus exercitium renouetur , intendatur ,
 ac continuetur , perficiendo hisce infi-
 nitis seu inobseruabilibus operacioni-
 bus circulem aliquam notabilem mu-
 rationem , seu gradum quendam . vt di-
 ctum est *a* supra . In hac porrò ope-
 rationum remissione , ac renouatione
 incredibilis adstat iucunditas , perfe-
 ctioribus , & nouis inactionibus diui-
 nis , arcani amoris exercitium , reinten-
 dentibus . cum itaque non vno actu om-
 nia , & singula de diuino infinito Bo-
 no , & Pulchro haberi possint , hinc
 admirabili varietate , alia atque alia di-
 uinorum participatio , incessanter suc-
 cedens , æternæ beatitudinis imitatur
 insatiabilitatem . & hic est modus or-
 dinarius status Transformationis de-
 scendentis supra omnem affirmatio-
 nem , vel negationem . nam de Deo a-
 liquid affirmare , vel negare , est prius
 quædam via ad Deum tendendi , & ab
 eius bono , & pulchro aliquid eliciendi :
 at hoc loco per donum sapientiæ , vitali

gustu per prius ipsa voluntas , maxima
 amicitate confortij diuinæ naturæ
 perfusa est , & absque vlla acquisitionis
 mora ipsum habitum , possessum , & be-
 ne-afficiens diuinum bonum , intelle-
 ctus in primo instanti operationis ap-
 prendit , diiudicat , & circumuolu-
 tionibus suis digerit , fouet , ac conti-
 nuè renouat . quod dum mystici faci-
 unt tanquam stellæ *b* quæ dederunt
 lumen in custodijs suis , & latatae sunt .
 & luxerunt ei cum iucunditate , qui fecit
 illas , cœlesti rore perfundantur . interea
 verò si in actus exercitio ad amoris ex-
 cessum intellectus operationes suppri-
 mentem , dimoueat , similia euenient ,
 quæ habentur *c* infra ; hic autem con-
 sequenter exponimus ,

*Praxin ad exercitium actus formationis
 verbi mystici remissione , aut inter-
 ruptione , etiam quacunq; in-
 terueniente .*

ARTICVLVS SECVDVS.

Dixi d nunc cœpi . ac si diceret , ô pia
 anima , cum omnis actio humana
 sit singularis , & in Nunc præsentis tantū
 duret , non poterit vtiq; fruitionis my-
 sticæ initium dari , nisi ex summo bono
 in Nunc præsentis realiter coniuncto . &
 ideò amantissimi Domini , si quando-
 que ex conditione , aut fragilitate hu-
 ius vitæ interruptionem , aut remissio-
 nem aliquam in arcano amore passi
 fuerint ; ipso instanti , quo hoc ipsum
 animaduertent , sua interiora perlu-
 strando diiudicant : scilicet statum pro-
 prium

a par. 6. n. 4. *b* Baruch. 3. c. 2. & 3. *d* Psal. 76.

prium, regionis mentalis amplitudinem, situs spiritualis conditionem, speciei differentiam; moxque ab inferiorum specierum, seu similitudinum imperfectionibus se expediunt, atque ad puræ intelligentiæ operationes, seu verba pronuntianda sese recipiunt; sublimiusque, ac purius ad fruitionis continuationem renouant, idque facillimè, & admodum iucundè. gratia enim sanatus animus; & per donum sapientiæ pro consuetudine exercitatos habens sensus, si interruptionem, aut remissionem aliquam, à puris, & perfectis operationibus senserit; ipso facto per indeficientem primæ veritatis radium, pijs mentibus semper collucentem, tanquam verus adorator, adorans Deum in spiritu & veritate, ac ad consortium diuinæ naturæ vitali gustu in hoc statu Transformationis semper præexistens, sese recipit, ab eoque bene-afficientiam acceptâ operationibus intellectus perficit, renouandoque fruitur, ac diuino alimento rursus viuit; tanquam speculum, leui quidem halitu à solita claritate obscuratum, modica verò absterfione iterum suæ pulchritudini restitutum. & certè si ob conditionem huius vitæ, puta necessarij somni, aut fragilitatem, scilicet distractionis, vel leuis imperfectionis interruptionem actualem amicitia Dei causantis, tanta est restitutionis, & resumptionis ad fruitionem facilitas; quantò maior, & expeditior concedenda erit in actibus meritorijs, puta sacri studij ad conciones, Theologiæ,

aut regiminis ad bonum publicum, aliarumque piarum actionum?

Sicut autem hæc pro actus exercitio ad Hic, & Nunc accipienda sunt; ita quoque in ipsius status Transformationis modi descendens, à supremis per media vsque ad infima, pulchro ordinatoque descensu, & e contra Transformationis modi ascendens, ab infimis per media vsq; ad superiora ascensu; consideranda erunt. ita vt pia anima in omni regione, vbi, situque mentali, semper sese conformiter habeat, ad id quod in præsentis de diuinis consortijs præextiterit. in supremis quidem eminenter, in medijs sapienter, in infimis autem sub collecti boni ratione procedens. quo ita diuina quadam vita incessanter viuat: nec non in ipso etiam somno a subinde cor eius vigilet, atque à phantasmatum simulachris liberata mens, multa, magis sapienter, quam in vigilijs contempletur. Iam verò adhuc præstantiores operationes explicemus consequenter.

Praxis ad exercitium actus prout ad mentis excessum penetrat, & ab illo remittendo diuinum lumen ad formationem Agalmatis resultat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad b potandū, labijsq; & dentibus illius ad ruminandum. ac si diceret: ô pia anima, sicut præstans & copiosum vintum, per guttur ad interiora dilabitur, & dein sua

Ff 3

actj-

a ut dict. infr. Decis. 4. a. 1. b Cant. 7.

actiuitate, & calore caput petit, vsumque rationis de statu suo dimouet, ita vt intellectus functione sua destituatur: sic quoque lapidissimum illud diuinæ naturæ consortium, ad perfectionem doni sapientiæ eleuatum, cum per calores actualis fruitionis, mediantibus operationibus intellectus summè intenditur; tandem amoris vi, & præstantia, actualem operationem intellectus supprimeat, ac mysticum à statu suo dimouebit, ad mentis vsque excessum. fit enim frequenter hoc loco dum in exercitio actus fruitio continuatur, vt paulatim omnium eorum quæ sunt, & non sunt, quæque circa, & in se fiunt, obliuiscatur, ac tam fortiter superioribus intentionibus, supra omnem affirmationem, vel negationem coniungatur, vt omnis actualis, & explicita intellectus operatio interea cessare habeat. non quod omni lumine (quod substantiam spirituales decet; & hic supernaturaliter collucet) destituatur, nullumque intellectualem lumen coadstans habeat (quandoquidem semper inter limites actualis lucis remaneat) sed quod intellectus nullam operationem, seu verbum formare possit, quam diu amoris huius intensa actio perseuerauerit; cum magis passiuè sustineat, & in optimo modo à Deo in hac vita recipiendi viuat, quam actiuè quidpiam agat. ita tamen, vt hic amoris excessus (statui Transformationis proprius) ordinariè fiat suauis mentis excessu. suauis inquam, primò, quia cum hic ex habituali dono sapien-

tia operetur, ordinariè non nisi per accidens ad ecstasim *b* perfectam eleuabitur. Secundò, quia licet nulli rei quæ est, aut quæ non est intendat; sensus tamen non fortiter, & violenter constriunguntur, aut supprimuntur; sed ita quietantur, vt in nullo eiusmodi excedente amoris actiones, interrompere valeant. Tertio, quia intellectus licet à gloria maiestatis oppressus, & supra omnes mentis actiones constitutus sit, cum tamen non fortiter per sensus ligetur, tantò facilius, & citius ad sibi proprias operationes restituitur, quanto minus actio in suo summo diu durat. atque huiusmodi amoris excessus rectè à mysticis, modinescius appellatur. iuxta illud: *c* in deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas.

Atque tum vinum illud optimum excessiui amoris, dignum piæ animæ ad potandum, & per mentis operationes, ceu labijs, & dentibus spiritualibus ad ruminandum præbetur: ipso enim instanti, quo remiserit amoris vehementia, quæ intellectus actualis operationes de statu suo dimouerat, coadstans illud, & actualis operationes intellectus excedens lumen, vt nouum & eminentissimum intelligendi principium & species resultat; Deo intellectus agentis vices supplente, quo ita intellectus patiens, ilicò verbum Agalmatis (id est pulcherrimum, & absque præiudicio hoc amoris excessu, præ nimia diuina claritate, intellectui ad formandum impossibile pronuntiare possit. quæ quidem
tam

a vt inf. Decif. 6. 107. *b* hic vs n. 3. *c* Psal. 141.

tam eminens mentis operatio, post hunc amoris excessum semper, & aliàs nunquam ab intellectu tam perfectè, iucundè, & absque industria, aut sollicitudine aliqua ordinatissimè formatur. vnde sicut oculus splendorem solis fixo intuitu contemplans, paulatim præ nimia eius claritate opprimitur, & ab omni visibili actualiter videndo, nimio lumine præpeditur; ita vt dein à solis intuitu remittens, ipsius tamen solis splendorem eminentem secum deferat: ita quoque oculus mentis, nimio fulgore diuino illustratus, cum ad operationes sibi proprias reuersus fuerit; pro primo admirabilis illius luminis impressionem tam fortem sibi retinet, vt inde, & non aliundè, intelligendi principium assumere possit. atque hunc operandi modum meritò optimum huius vitæ constituimus; quandoquidem omnes operationes, quæ ad quendam excessum deducunt; post suum excessum, longè intimiorem in Deo bene-afficientiam imprimant, quam ea, quæ à nobis ante talem aliquem excessum formantur.

Iam verò ad praxin singulariter obseruandum venit, quod interea, dum tam sublimi modo fruitio incipit, & continuatur, posse piam animam de nouo, per intensiores actus amoris, paulatim iterum ab operationibus mentis extra statum suum dimoueri, & amoris passione (vt optimo modo agatur) Deo sese exhibere; vtque dein passiuo modo finito, iterum perfectè operetur, & intellectus operationibus, amoris

perceptio digeratur, atque ad fruitionis exercitium continuandum incessanter renouetur. quod si verò pro eo tempore, ad dictum amoris excessum non readmitteretur, ad ordinarios, & doni supernaturalis sapientiæ perfectissimos operandi modos sese recipit, atque diuino alimento nutrit; hac amoris prorsus diuina vicissitudine, prælibamina vitæ æternæ viciniùs semper attingens. & cum hæc & similia ordinarios modos mensuræ doni sapientiæ supernaturalis respiciant: consequenter hic dicendum est de extraordinarijs supernaturalibus modis, secundum quod per species infusas, aut voluntatis præuias commotiones eueniunt;

Praxis ad exercitium actus, prout per species infusas, præuias voluntatis commotiones, aut superexcellenti aliqua perceptione mentali incipit, perficitur, excedit, & ad formationem Agalmatis remittit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Spiritus vbi vult spirat, a & vocem seius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. ac si diceret: ô pia anima, vt sublimiori aliquo modo, quam per dona intellectus, vel sapientiæ fieri consuevit, Deo iungaris, hoc certè in tua non est potestate; sed spiritus diuini, qui vbi, & quando vult, spirat, sublimiores quasdam species infundendo, vel ex inopinato voluntatem ita vitali gustu

gustu perfundendo, ut nunquam per operationes prævias intellectus, tam intentum amorem exprimere potuisses. sunt enim præviæ voluntatis commotiones, seu absque actuali intellectu ad talem amorem producendum directo actu perceptiones, illius conditionis, ut immediatè à Deo suaui gustu (interea dum mysticus aliud quoddam bonum, vel etiam indifferens opus peragit, & quandoque minus de tali felicitate cogitat) excitentur. pari etiam modo species à Deo infusæ, tam sunt sublimes ex sua natura, & conditione; ut cum sensibus nihil affinitatis habeant, à nullo intellectu exprimi possint; sed à sola Dei inspiratione dependeant, diuinumque admirabile lumen, absque operationibus intellectus, ad talem operationem proportionatis, conferant.

Itaque alterutro horum posito, aut alia superexcellenti aliqua mentis perceptione, exercitium actus illicò absque imperfectis operationibus, seu verbis præambulis, superexcellenti quoque modo incipitur, dein absque vlla interruptione, aut impedimento perficitur; dum animum diuinum, illius qui omnibus præstat, singularem spectatorem efficit: cum eo tamen, ut semel habita specie infusa, aut prævia voluntatis commotione, proprijs deinde actibus intellectus, & voluntatis fruitionem instituat, renouet, continuatque; ac etiam per quam facilè amoris præstantia,

actuales operationes intellectus supprimit, de statu suo dimoueat, & ad suam mentis excessum eleuet, eoque cessantè infallibiliter ad formationem Agalmatis remittat; aliaque, ut iam supra dictum est, præstet.

Sicut autem in his speciebus infusis, & voluntatis prævijs commotionibus, spiritus, ubi vult, spirat; ita ut à Deo solo immittantur; ita quoque huius, vel illius vocem audis; sed nescis, unde veniat, aut quo vadat. nullis enim regulis, aut humanis viribus subiunguntur, statum etiam non mutant; sed actualiter subtilius, & intensius illustrent, diuinique amoris calorem communicant: unde etiam non ita frequentet, præsertim hoc loco, ubi per habitura doni sapientiæ proceditur, contingunt. si enim aliquis sæpius à Deo species infusas suscipiat, aut prævijs voluntatis commotionibus speciali modo excitetur; præsertim ad formalem ecstasim, vel raptum; potius ad statum sanctorum & viatorum, & præstantiores Spiritus sancti inactiones, quàm ad statum Transformationis referendus esset. hisce autem statui Transformationis actionibus proprijs, circa diuinum præstantissimum Bonum, & Pulchrum circumuolutiones suas continuo (licet ad octo vel decem annos) peragit; à summa, per mediam, usque ad infimam mentis regionem, Vbi, & Situm, descendendo; prout ex sequentibus latius videbitur.

a infra Dec. 9.

PRA.

P R A X I S
 STATUS TRANSFORMATIONIS
 MODI DESCENDENTIS,
 ET PRIMO
 DE IIS QUÆ FIVNT IN SVM-
 MO PER DONVM SAPIENTIÆ
 SVPERNATVRALIS.

PARAPHRASIS DECIMA.

QUÆ est ista a qua progreditur electa ut Sol. ac si diceret: sicut lux Solis superat in claritate lucem Lunæ; ita status Transformationis excedit statum Unionis, prout à præcedentibus, & sublequentibus statibus, proprium sibi vendicat. Deinceps ergò, pia anima, tanquam sol in virtute sua lucet per donum supernaturalis sapientiæ; & à Domini spiritu de claritate in claritatem transformatur, secundùm cœlestes quasdam regiones nouo semper modo succedentes; in illis iuxta praxin supra b positam, pro actus exercitio, circumuolutiones suas incredibili varietate, & iucunditate, indefinenter peragendo; prout ex sequentibus constabit. quæ etiam tantò breuiùs explicare oportuit, quantò, quæ summa sunt, minus dicuntur. Sit ergò

- I. Breuis deductio eorum qua eueniunt in praxi, toto statu Transformationis modi descendentis durante.
- II. Propria operatio quam diu mysticus in summo huius Transformationis versatur, est Sabbatismi felicissima fruitio.
- III. Eius velle & posse adequatè procedunt.
- IV. Nulla sollicitatis interruptione molestatur amplius.
- V. Magis ac magis splendoribus spiritus diuini illustratur.
- VI. Ex integro, & perfecta sua totalitate, ut in umbra Dei habitat mysticus.

Gg

ARTI-

a Cant. 6. b paraph. 9.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Breuis deductio eorum quæ eueniunt in
praxi; toto statu Transformationis
modi descendens durante.*

Requiem tibi dabit Dominus Deus
tuus semper, & implebit splendoribus
animam tuam, & ossa tua liberabit:
& eris quasi hortus irriguus, & sicut fons
aquarum, cuius non deficient aquæ. ac
si diceret: ô pia anima, licet in statu
vniõnis supremas illas spiritus fruitio-
nes experta sis; nondum tamen in te-
metipsa habebas absolutam illam re-
quiẽm, & appetitus satietatem, quam
adhuc superesse cognoscebas, dum ad
soleitatem tui ipsius, vniõnis cessatio-
nem, & carentiam subinde, imò fre-
quenter reincidebas; id quod mysticæ
felicitati multum aduersabatur. quam-
uis enim essentiali resignatione omnia
de manu Domini susciperentur; hoc
tamen non impediẽbat actualem vniõ-
nis cessationem; iam verò Deus dabit
tibi requiem; & continuum gaudium,
ob præstantem usum diuinæ amicitia:
& hoc ipsum quidem cum splendori-
bus maximis in animam tuam; & in ipsis
ossibus tuis, seu in illis spiritus latibulis,
in quibus aliquando tenebræ intelle-
ctuales, & amatiuæ virtutis duræ fie-
bant remissiones. vndè etiam eris sicut
hortus irriguus; qui quoquo tempore
sufficientem habet in se humidita-
tem, imò superabundantem aquam
suauitatis Diuinæ; sicut fons cuius aquæ

non deficient, ita vt nulla amplius sit
interruptio iam adeptæ fruitionis, &
pro eodem sint in vitali vsu, & actuali
exercitio, tuum in familiaritate diuina
velle, & posse, vtque non plus velis,
quam possis; nec minus possis quam
velis. quæ quidem felicitas maior est,
quàm vt eam oculus subtilissimi intel-
lectus videat, aut auris percipiat, aut in
cor hominis ascendit; nisi in illud cui
datum fuerit nomen nouum, quod nẽ-
mo nouit, nisi qui accipit.

Obseruandum est tamen piæ animæ,
quod in dicta pace, & gaudio Spiritus
sancti non semper, ac continuo sit ad-
æquata intensio amoris; in hac enim
vita impossibile est, in exercitio actus
omni momento, æquè intensam in om-
nibus, & per omnia retinere fruitio-
nem; sicut habetur in summo Hic, &
Nunc operationis, quando homo ad
omnia exteriora inutilis est, & nec se-
ipsum, nec ea quæ circa se sunt aduertit,
sicut etiam pro eo Nunc aduertere non
debet. sæpè etiam alijs pijs actionibus
vacandum est, & orandum vocaliter, in
choro laudes Dei canendæ, in altari sa-
cra mysteria peragenda sunt: sæpè in-
super functiones impositorum officio-
rum ad publicum bonum, & regi-
men, animum trahunt; quæ om-
nia certè cogitationem, intellectualem
prudentiam, ac curam quàm maximè
requirunt: ita vt mysticus ab vsu sen-
sum, & phantasie non tantum non li-
ber sit; sed etiam oculum attentionis
hisce impendere habeat. licet ergò non
defi-

deficiant aquæ fontis Trásformationis, præcipuè modi descendenti, & in toto suo esse, habere, operari, & frui, sit irriguus, abundansq;: vt etiam ad mediam, & infimam regionè descendendo, toto suo habere, & viuere dicat, bonum est nos hic esse, & interea dum eiusmodi pia exercitia peragit, simul in diuinitate, sicut piscis in aqua, natet; attamen ab vsu phantasiæ, & rationis aliquali saltem discursu, liber esse non potest. idè etiam Deus aliundè compensat bonum contemplationis, ad suam gloriam, (vt cunq; & saltem quantum ad sublimem operandi modum) interruptum. & hisce in genere dictis, consequenter ad specialia procedemus.

Propria operatio quamdiu mysticus in summo huius Transformationis versatur, est sabbatismi felicissima fruitio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Relinquitur a sabbatismus populo Dei: ac si diceret: ò pia anima, quam fœlix, & diu oprata est illa requies, in qua tandem aliquando integre, perfecteque datur, quod alioquin, aut per partes, aut interrumpentibus spiritus soleitatibus, & interfectis diuinis carentijs, habebatur. iam verò populo Dei, cuius conuersatio in cœlis est, ibique plus amat, quam in terra, vbi animat, relinquitur sabbatismus, & cessatio ab operibus duris, in eo quod do-

a Heb. 4. b Ezech 10.

no lapidæ scientiæ, & vitali vsu diuinæ naturæ consors factus, per eiusdem diuinæ naturæ bene-afficientiam viuat, gaudeat, & delicietur. felix hic sabbatismus, in quo nulla distractionum molestia, nulla passionum inordinatio, nulla cœlestium gaudiorum interruptio adstat; felix maximè hic sabbatismus, in quo pia anima magis passiuè, quam actiuè se habet. vnde etiam tam fortes attractus, & sursum actiones toto eo tempore, quo in summo hoc versatur (licet ad annum, aut alterum, perseueraret) experitur, vt si Deo Optimo Maximo placeret, pondus corporis alleuiare; nec momento vnico in terra consistere sibi videretur possibile: quin ilicò cum spiritu vsque adedè eleuato, ipsum quoque corpus summa cœlorum, ac super quæuis imaginaria spatia, altitudinesque coascenderet; vt ei qui super omnes est, etiam adstare liceret: prout clarius colligitur ex sequentibus,

Eius Velle & Posse adequatè procedunt.

ARTICVLVS TERTIYS.

Cvm eleuarent Cherubim alas suas, b vt exaltarentur de terra, non resistebant rota, sed & ipsæ iuxta erant: stantibus illis stabant: & cum eleuatis eleuabantur, spiritus enim vitæ erat in rotis. ac si diceret: ò pia anima, quam diu inter se differunt velle, & posse; iuxta illud Apostoli: Velle adiacet mihi, perficere autem non inueniò;

Gg 2

per-

perfecta eleuatio à terrena conuerfatione eſſe non poterit: quia inferiores potentia ſuperioribus non integrè ſubiicerentur, nec promptè rationis imperio obedirent, & ideo tanta eſt harmonia veræ, ac realis Transformationis in ſpiritu transformato; vt ſicut Cherubim quando eleuabant alas, ſuperiorum ſcilicet potentiarum, vt inquam, omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, tranſcenderent, rotæ inferioris quoque hominis, cum omnibus viribus non reſiſterent: ſed ipſæ quoque iuxta eſſent; vtique tanquam connaturales, & ad totum compositum integraliter pertinentes. cum ſtantibus verò ſtant, ne ſcilicet plus velint, quam poſſint, & cum eleuatis eleuantur, vt non minus poſſint, quam velint. hoc autem non ex ſe, aut naturali virtute; ſed ſupernaturali proſus, & diuina; ideo enim ſpiritus vitæ erat in rotis; vt ſcilicet per gratiam, omnem inordinationem animi ſanantem, expeditæ, alleuiatæ, & coadunitæ maneat, potentijs ſuperioribus ad eum, qui ſuper omnia eſt, tendentibus. vnde quocunq; tempore, modo, aut loco taliter affectam piam animam quis interroget, [quid in cælo aut in terra optet, non aliud ex ea audiet, quam id volo, a quod hoc momento in me comperio.]

Iam verò tam arctus ſuperiorum, & inferiorum virium conſenſus, ac connaturale quaſi conſortium diuinæ naturæ, & quidquid demum hic benè, ac pulchrè in Deo afficit, pro præambulo

duntaxat, & diſpoſitione accipiendum erit. pro exercitio verò actus hæc omnia amicè deſerens, ad diuinos radios in ſpiritu longè ſubtilius relucentes, ſeſe reflectat; quouſque omnia quæ etiam intimè circumſtant, ſupergrediens, ad intelligentiam ſubſtantijs ſeparatis conformem pertingat; ac dein ſi pro eo inſtanti operationum ſucceſſus non interrumpatur, voluntas perfectiùs pondere ſui amoris, extra proprium ſtatum ſe dimouens, proijciensque iungatur Deo, prout in ſe eſt, & amoris præſtantia, intellectus explicitas operationes excedit, atque amoris potiùs, quam intellectus ecſtaſi, abducatur in Diuinitatis abyſſum; dein ab eo liber, pulcherrimum lumen ſeu ſpecies Diuinæ naturæ, in ſpiritu reſulket, ad optimam dein, & & adæquatam operationem intellectus, & voluntatis, ilicò formandam, & pro fruitione perfectiſſima continuandam. atque hinc iucundè admodum profluat, quod pia anima in omnibus actionibus ſuis, plus Deum, eiusq; felicitatem, & vitæ æternæ communionem, quam ſe, ſuaque ſentiat, magisque in cælis quam in terris conuerſetur. & quidem ex vna parte his, & ſimilibus vitæ æternæ conſortijs in-dies alitur, ex alia parte autem, tam angelica, huius vitæ exilio proſus indigna iudicat; Dei tamen in ſe benignitatem ſumma reuerentia, colaudans. Quanta porro ſecuritate hæc felicitas poſſideatur, conſequenter etiam dicemus.

Nulla

a In vita B. Catharin, Genuen. c. 31.

Nulla sollicitatis interruptione molestatur amplius.

ARTICVLVS QVARTVS.

Non a abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum. ac si diceret, ô pia anima, pax, & gaudium in Spiritu Sancto, quibus tam abundanter perfusa es, æternæ gloriæ securitatem tibi repræsentant; in eo quod in omni tuo habere, & viuere videatur hanc felicissimam Transformationis abundantiam, nullis vnquam temporibus defuturam. cuius quidem securitatis infallibilitas in cælo perfecti gaudij ratio est. si enim, vel vnquam finienda foret, in Nunc æterno nõ possent Sancti Dei tã purè gaudere quin simultaneè etiam ob deficientiam quãdoque futuram, contristarentur. quia ergò gratia Dei effudit in te spiritum suum, non abscondit Deus faciem suam amplius; vt scilicet interruptiones sollicitatis proprii spiritus, seu diuinæ fructio- nis carentiam subeas, eiusque molestia afficiaris; pro vt hucusque in omnibus statibus contingebat: in quibus etiam non tam habebatur quod deerat, quam quod appeteretur, id quod non ex toto; sed tantum ex parte frui erat. illius enim quod quis absolutè nondum habet possidet, & ad libitum non vitur, non datur plena, & articulata fructio; sed op- tatiua; & ad aliud tendens, appetensque fertur, & fruitur, non autem, vt habens,

possidens, & vtens deliciatur.

Licet ergò fluminis impetus latificet ciuitatem Dei, & in pia anima sapientia, sapidaue scientia attingat vndique pro- pter suam mundiciam, ita vt omnia sint bona valdè; in exercitio tamen actus, & quando mentali negotio vacandum erit, oportet vt omne suum in Deo vitaliter habere, & viuere pro minimo, im- perfecto, & præambulo accipiat, vt su- per omnem suam felicitatem, maiorem amplitudinem subtiliori visu conspiciat in eoque aspectu omnia quæ sunt, & quæ non sunt, deserat, vsque ad con- ceptum Dei absolutum, seu entis perfe- cti; vt deindè ad amoris excessum, tran- seat: quot hoc loco absque singulari con- natu, & ex solo intensioris amoris pro- gressu, sæpè contingit. cæterum hæc nõ tantum possideri securè, sed etiam indi- es augeri, consequenter, explicamus.

Magis ac magis splendoribus spiritus di- uini illustratur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Nos b omnes reuelata facie, glo- riam Domini specularantes, in ean- dem imaginem transformamur à clari- tate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. ac si diceret, ô pia anima, pro- fundissima illa radicatio in charitate, quæ iam non vti prius in statu priuatio- nis velut in carbone, rutilabat, & in sta- tu vnionis tanquam in flamma lucebat; sed tanquam ignis in propria sphæra e- minen-

G g 3

minen-

a Ezech. 39. b 2. Cor. 3.

minenter splendet; quodammodo loquitur, non dicam vos amplius seruos, sed amicos; quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis: in eo quod reuelata facie, & eminentiori modo, quam alias vnquam gloriam Domini speculari non tantum concessum sit, sed etiam datum, vt in eandem imaginem transformemini, idq; à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu, quo etiam nil melius in hac vita optari potest. in tantum etiam, vt hoc loco per supersplendentes illas diuini spiritus illustrationes, articuli fidei, & veritatis reuelatæ, tam euidenter & perfecte cognoscantur, vt impossibile videatur aliter esse; cum merito tamen fidei, eo quod æquè, ac scholastici euidentiam fidei habentes parati sint credere, & actu credant, quando eiusmodi certitudo, non æquè intensè ac clarè manet.

Iam verò pro actus exercitio hæc omnia, & quidquid demum in mystica felicitate, etiam tam magnificum sentit vt nō liceat homini loqui, pro suo præambulo duntaxat, & proxima ad felicissimas operationes dispositione accipiat deseratque; dein ilicò diuinum Bonum quam intimè penetret, ibidemque acceptam bonitatis diuinæ similitudinem aspiciat, & aspiciendo amandoque collaudet. ex omnibus enim nil æquè feliciter, & iucundè in anima peragitur, quā vt facta ad imaginem Dei per potentias, & ad similitudinem per operationes; perfecte iuxta subiecti, & viatoris conditionem, operationibus sanctissimæ Trinitatis ad intra sese confor-

met per operationes intellectus agentis, & patientis, vt ab vtroque dein confortij diuinæ naturæ amor proueniens, subtiliùs digeratur, renouetur, & ad fruitionem continuandam foueatur; illudque ipsum per quam facilè. sicut enim perfecte sanus, suam sanitatem intelligit, & illam intelligendo in seipso existentem, & vitaliter manentem dicit, eiusque iucunditate, & bene-afficientia fruitur; ita quoque pia anima vitalem illam per gratiam sanati animi Transformationem, & diuinæ Bonitatis participationem, cum supersplendenti lumine in se habitare, & tanquam ex imis visceribus spiritus procedere intelligit, & intelligendo, penitiùsque agnoscendo eam dicit, seque in ea viuere gaudet. & eo ampliùs, quod eiusmodi bene-afficientia taliter æternæ gloriæ pondus operetur in ipsa, vt abundantissimè in inferiores animæ, & corporis vires diffluat, easque propè beatas efficiat: Vndè & ipsum corpus, quod alioquin aggrauat, tam leuè videtur; vt instar spiritus instantanea agilitate ipsas cœlorum altitudines penetrare gestiat, & se ad instar solis luminosum esse non dubitaret; dummodo, ad extra apparere posset, quod in se lucere videtur. & certè si hæc æternæ gloriæ participatio maneret absque corporis immutatione, & pro vt se tam in spiritu, quam in corpore, in, & à Deo, non autem ab alio aliquo, bene-affectam haberet; in æternum contenta esset; nec maiorem beatitudinem, siue in spiritu, siue in anima; siue in ipso corpore à Deo

Deo optaret, si ad claram visionem à Deo non ordinaretur. atq; hanc etiam felicitatem, qua scilicet de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu transformatur, tam certo, & vitali gustu habitualiter, & ordinariè experitur, quam ea quæ oculis videt, manibus palpat, & vita sentit: idque tantò certius, quantò ea, quæ spiritu fiunt, ea quæ sensuum sunt, excedunt: tam perfectione naturæ, quam operandi subtilitate. quanta verò intellectus, & affectus intentione hæc contingunt, ex sequentibus constabit amplius.

Ex integro, & perfecta sua totalitate ut in umbra Dei habitat mysticus.

ARTICVLVS SEXTVS.

Homo a sensatus in sapientia manet sicut Sol. ac si diceret, ô pia anima, homo sensatus non utique tam intellectu, quo absque defectu cognoscit; quam voluntate, qua ipso usu doni sapientiæ vitaliter perfusus est, tanquam sol in suo lumine, tam integrè manet, ut non tantum defectum non patiat; sed potius ex tã supersplendenti transformatione, in umbra Dei, ceu in imagine vitæ æternæ permanenter habitat: cum eo tamen, ut in exercitio actuali

a *Ecl.* 27.

non semper æquè intensè, & adæquato actu persistat. si enim semper æquè intensè in Nunc præsentis, & actus exercitio persisteret, nunquam à supremis operationibus, quando amor piæ animam de statu suo dimouet, expediri, nec ad aliud quantumuis pium, & bono publico vtile opus sese conuertere posset: sed continuò ad actiones huius vitæ inutilis foret.

Iam verò pro actus exercitio tanquam præambulum, & dispositio ad perfectam operationem, & pro primo coexistat vitale in Deo bene-affici, totum compositum hominis ex confortio diuino perfundens: pro secundo autem nouo, & intensiori actu, ipsum summum, & primum Bonum, & Pulchrum, ut in infinitum hisce præstans videat, & videndo subtiliorem speciem, ac illius Boni Pulchrique similitudinem exprimat, & in longè intimiorem amoris bene-afficientiam digerat, digerendoque eandem renouet, foueat, fruaturque. donec post vnum alterumue annum, plus minus, animaduertat; summum illum, & quasi violenter ad superiora tractum non nihil remisisse: tum enim ad ea, quæ in medio sequenti paraphrasi dicuntur, transeundum erit.

ET SE-

ET SECUNDO

DE IIS QUÆ FIUNT IN MEDIO
TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PARAPHRASIS VNDECIMA.

Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi a spiritus hominis, qui in ipso est. ac si diceret, donum sapientiæ in suo summo tam excessiue spiritum tuum illustrabat, & amoris actionibus extra statum suum dimouebat; vt quodammodò tui iuris non esses, & ea, quæ spiritus tui erant, ignorares: iam verò in media regione, conformiter ad spiritum, qui in te est, suauitatem spiritus diuini experieris, pro vt in sequentibus dicitur.

- I. *Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendenti versatur, est secessus mystici viuacitas.*
- II. *Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.*
- III. *Lumine Transformationis temperato, viuacitas proprii spiritus redit & clara visionis similitudinem in se exprimit.*
- IV. *Quantò magis ad mediam regionem descendit; tantò altius regionem spiritus diuini supra se habet.*
- V. *Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendenti versatur, est secessus mystici viuacitas.

Viderunt b sub pedibus Dei Israel, quasi opus lapidis saphirini, & quasi calum, cum serenū est. ac si diceret, o pia anima, sicut mediæ huius regio-

nis situs, à supremo alius est, ita quoq; aliam habitationem constituit. quemadmodum qui prius in alto erat, cum ad medium descenderit, ille quidem respectu inferiorum adhuc in summo, respectu superiorum autem, in infimo est: supremum enim infimi, infimum duntaxat est supremi. & ideò sub pedibus Dei Israel visio apparebat, opul-

a 2 Cor. 2. b Exo. 24.

opusque illud pretiosum, & aspectu delectabile lapidis saphirini; qui lapis colore aureis punctis relucet, & operationes mysticæ Transformationis, tanquam stellas scintillantes producit: cum eo tamen, ut ordinarium lumen, & bene-afficientia sit ad instar cœli, cum serenum est, & oculis longè gratius, quam intensus sol lucidissimis radijs splendens lumen suum visui non contemperabat. hinc, & violentiam quandam patiebatur, dum in summo Transformationis versarerer, & amoris vehementia extra statum suum dimouebatur: iam verò sereno intellectuali cœlo, & suavi mentis excessu, toto eo tempore, quo in medio huius Transformationis degit, supereminentem illam charitatem Dei digerit, & inescat; semper plena realitate sese descensui conformando, & in secessu mystico, siue intimissima tranquillitate, admodum vicinè diuinam bonitatem penetrando, ita ut in omnibus existentibus, nil nisi prout in summo Bonò existunt; eiusque imagines, seu particulæ quædam sunt, intueatur: idque secundum optimum modum operandi in hac vita, per quem in actus exercitio scit, quæ à Deo donata sunt sibi; sicut Beati in cœlo simultanéè intelligunt se beatos esse. Prout magis articulaté in sequentibus dicemus;

a Sap. cap. 8.

Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Intrans in domum meam; conuiescā cum a illa (sc. sapientia;) non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius, sed letitiam, & gaudium. ac si diceret: ô pia anima, licet paulatim à forti illo tractu, ceu à diuina captiuitate absoluaris, & in spiritu proprio viuacitatem tibi magis proportionatam experiaris; non ideò tamen ab eminēti charitatis vitali vsu cessas, ita ut interruptio fruitionis diuinæ contingat; sed à supersplendenti lumine recedens, in domum spiritus tui intras, ibique habitas cum sapida illa in Deo bene-afficientia. quæ cum totam tuam capacitatem, seu velle, & posse impleat, non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius; sed huic regioni, & situi mentali conformem, & plenam lætitiā, ac gaudium in adæquato actu intellectus, & voluntatis; ceu in æquilibrio, & linea recta, quo ita libero, ac soluto animo iungaris ei, qui lumen suæ supersplendentis Deitatis visui tuo contemperat.

Et per hæc quidem omnia, ut præambula; perfectè tamen disponentia, in exercitio actus transeundum erit, absque conamine tam altè transcendendo, sicut fiebat cum adhuc in summo spiritus diuini versareris: dein aspectus

h h

spi

spiritus ad eum qui intimè, & quasi in ipso capite tuo suavissimas Diuinitatis suæ influentias distribuit, conuertendus est. sic enim cum maxima lætitia, & gaudio spiritus, ad suaves mentis alienationes, & ecstasis vicinas abstractiones abduceris: ibidem amoris arcanas inactiones suscipiendo. Quam feliciter porro hæc fiant, ex sequentibus magis clarum fiet.

Lumine Transformationis temperato, viuacitas proprii spiritus redit, & clara visionis similitudinem in se exprimit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ecce a regnum Dei intra vos est. ac si diceret: ô pia anima, non est quod cogites, te continuò eminenter supra te Deum quærere debere, cum ipsum regnum Dei intra te sit; in eo, quod sicut Beatis in cælo, ipse Diuinitatis splendor (pro cuiusque dignitate) à Deo contemperatur, vt absque violentia, ac grato prorsus modo, illum suscipere valeat; ita quoque hoc loco tibi eueniet propter modificationem supersplendentis luminis transformantis, quod in suo summo ex forti elevatione ad superiora attrahebat: iam verò benignè remittens, tibi in temetipsa, amabili modo, collucet; quo ita in te, & in omnibus quæ circumstant, & quoquo modo percipiuntur ita habites; vt tamen etiam perfectè quæ Dei sunt vi-

deas, maximèque diligas, nil distractionis aut incommodi patiens ab ijs, quæ Deo minora sunt, & vt primi Veri, Bonique imagines, ac particulæ existunt. his itaq; cum ob descensum ad mediam regionem, proprii spiritus viuacitas accedat, & à nimia illustratione diuina absoluat, sui que iuris magis magisque fiat; mitiori modo, & humanæ conditionis per quam accommoda exercitatione, vitæ beatæ similitudinem in se quodammodo circumfert. vt enim in cælo Beati sic Deo intendunt, eiusque gloria fruuntur, vt etiam simul aliud, & dicere & facere possint, temper principaliori beatitudine in semetipsis gaudium vitæ æternæ circumferentes, idq; simultanea notitia, quod in Deo beati sint: pari modo iam mysticus in omnibus quæ agit, & percipit, quæque Deo minora sunt, vt particulas, & vestigia diuinæ bonitatis intuetur, ac simultaneè vitale suum in Deo bene-affici cognoscit, & scit quæ à Deo donata sunt tibi; idq; non tam ex actuali expressione, per operationes intellectus & voluntatis; quam ex dono sapientiæ vitaliter afficiente, & ex abundantia superiorum virium, in inferiores vires, ac totum hominis compositum influente. est itaque eiusmodi supereminentis splendoris remissio, in mediâ hac Transformationis regione, & mentali situ, longè gratissima; ac viatori maximè proportionata; cum in ea, ceu in statu innocentiae, per inspirationem internam, & vitalem communionem, modo ange-

lico

lico cœlestium exemplaria in semetipso circumferat; ita vt fruitio vitæ æternæ, quæ nunc est, umbra & imago sit futuræ Beatitudinis.

Iam verò pro exercitio actus hæc omnia, quantumcunque cœlestia sint, vt præambulum, & imperfectum quid, seu quod per actus operationes longè perfectius, & substantijs separatis conformiores modos depurari, ac subtilizari debeat, accipienda, & deferenda sunt; dein oculus spiritus ex prædictis omnibus diuinis illustrationibus præclarior factus, ad diuinum Bonum, & Pulchrum dirigendus; vt sic spiritus in operationibus supremis, per verba mystica, ac mentis locutiones, totum id, quod felicitatis ex diuino consortio habet, renouet, foueat, ac scrutetur, vsque ad profunda Dei; prout amplius consequenter dicemus;

Quantò magis ad mediam regionem descendit; tantò altius regionem spiritus diuini supra se habet.

ARTICVLVS QVARTVS.

ERit a lux luna sicut lux solis. ac si diceret: ô pia anima, cum ea quæ in spiritu intimè abscondita sunt, profui intensione, vel remissione in viribus inferioribus, seu sanctis imaginibus semper reluceant, atque in ijs infimo modo quidem; attamen, vt fieri potest, conuenientissimo resultent: hinc est; quod regionem supremam spiritus di-

uini ab intensissimis splendoribus remittentem, iam velut summè suprastantem, maximèque eleuatam conspicias. idque semper eò ampliùs, quò in medio hoc mentali situ ad inferiora descenderis, cum eo tamen vt lux lunæ, tibi sicut lux solis, tamque integrè, & plena fruitione in lumine remisso, tuxque naturali dispositioni contemperato, vitæ æternæ delicijs affluas, quam in summo: & eo magis, quod scilicet oculus internus, non amoris violentia à statu suo dimotus, ipsam felicitatem mysticam, tanquam sibi connaturalem habeat, possideatque. sicut etiam oculus corporis multò iucundius lumine diei fruitur, si sol nubeculis vtcunque obrectus splendentes radios cohibeat. vndè sicut ad videndum aliquid non est necesse videre substantiam Solis; ita quoque ad perfectam, & absolutam pro Nunc instanti mysticam felicitatem, non amplius est necesse supersplendentibus illustrationibus indui, cum eorum loco, lux huic intensioni proportionata ad actus adæquatæ dilectionis, & intellectionis exercendos, integrè sufficiat; non obstante, quod indies animaduertat regionem spiritus diuini, in qua in summo versabatur, supra se persistere.

Interea pro exercitio actus non tantum regio spiritus diuini in alto remanens, & illustrationes ab intenso lumine remittentes; sed etiam quidquid internæ bene-afficientiæ habetur, vt præambulum, & imperfectum quid accipien-

Hb 2

dum

a Isai. cap. 11.

dum est, & oculus mitiori lumine perfusus, ad lumen, & bonum quod illuminat, & beat omnem hominem, extendendus, atque ab omnibus quæ sunt, & quæ non sunt depurandus est; quo ira ei, qui his omnibus præstat, adæquato actu intellectus, & dilectionis iungatur, cum eoque locutionis mentalis operationes iucundè admodum exerceat, & in earum renouatione circumuolutiones, diuiniq; amoris lusus perficiat; interea quod in media regione status Transformationis continuò descendit, vt consequenter dicemus.

Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Venit a hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. ac si diceret: ô pia anima, omnis operatio mystica, si secundùm suam perfectionem consideretur, talis esse debet, vt adæquatè procedat, secundùm intellectum quidem, vt sit remota, & superexaltata ab omni eo, quod vt inferius transcendere potest; secundùm voluntatem verò vt bonum proportionatum tam subtiliter amet, quam intelligit: hoc ipsum autem iam vel maximè fieri potest, & debet. vnde nunc est hora in proprio spiritu adorandi Deum, secundùm illam veritatem amoris, quam realiter, ac verè in hac media, & magis magisque descenden-

te mentis regione, & situ reperit; absque conatu se erigendi ad sublimes illas, ac supersplendentes illustrationes, quæ in summo huius Transformationis contingebant: sed adæquato actu intellectus, & voluntatis, hoc quod in se verum est, ac realiter vitali communionem in Deo bene-afficit, ita possideat, vt plus non appetat, nec minus appetat, quam velit, nec plus intelligat, quàm actu diligat, nec plus diligat, quam actu intelligat. atq; hoc est vera, reali, ac integra adoratione Deum Patrem (supra omnia præstantè) in spiritu, eiusq; infima regione, mentalivè situ reuereri; vera amoris consecutione Deum adorare, ac potentis intellectus, & voluntatis adæquatè actuatis, in illum piè transformari; cum ineffabili omnium, prout sunt in prima veritate, reluctance: qua mediante etiam fit, vt cuncta quæ in inferioribus videt, ac secundùm spiritum, animam, & corpus attingit, sint bona valde, & diuinæ, & supereminens bonitatis, veritatisque imagines, ac particula.

Vt autem hæc ritè fiant, pro actus exercitio mentales regiones, situsvè, ac insuper ipsum suum vitale habere, ac præambulum vt imperfectio; attamen vt conformis dispositio ad intimius operandum, accipienda sunt, ac deserenda; pro principio autem operationis subtilis cogitatio de summo Bono, & Pulchro assumenda est, ad eliciendam maximè spiritualem similitudinem, seu speciem; quam fecunditas intellectus
videt.

a Ioan. cap. 4.

videndo illustrat, illustrando perficit: interea amatiuam vim tam subtiliter alliciens, vt videndo Pulchrum ita subtiliter à consortio diuinæ naturæ afficiatur, vt quodammodo operationes substantiæ separatæ attingat, & adæquatè, id est, tam spiritualiter diligat, sicut intelligit; toto hominis composito in

pace silentique gaudio, sibi proportionatis modis confluyente; idque tamdiu, quoadusque constanter animaduerrat, sese ob continuum descensum ad infimam regionem deuenire: quo facto, ad ea, quæ sequenti paraphrasi dicuntur, transeundum erit.

ET TERTIO

DE IIS QUÆ FIUNT IN INFIMO TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PARAPHRASIS DVODECIMA.

Gratia Dei diffusa a est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. ac si diceret, sicut in summo spiritus proprius ad altiora se non admittebatur, ita & in spiritu proprio, inferioris hominis machina tanquam ab eminentiori se, substare cogebatur. descensu ergò Transformationis declinante, spiritus proprius non amplius in media; sed infima regione viuere, & degere habet: ita vt ipsa quoque hominis inferioris circumferentia, proportionatis sibi modis, & actionibus spiritualibus diuinis coniungatur, percipiatque, quam intimè gratia Dei diffusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: pro vt in sequentibus dicendum est. &

- I. *Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis descendens versatur, est silentij mystici quietæ fruitio.*
- II. *Obumbratio diuina fruitionis in homine inferiori viuacissima quiete possidetur.*
- III. *Plena fruitione continuo descendit, quousque, sicut spiritum diuinum, ita & spiritum proprium supra se in alto videat.*
- IV. *Remittente lumine Transformationis, descensus in profundo habitationem constituit.*

a Rom. 5.

- V. *Obumbratione fruitionis silentiosè in abyſſo interioritatis paulatim diſparente, ſpiritus admiratio ſubſequitur.*
- VI. *De ſpirituali profectu, duratione & tranſitu ad ſtatum Transformationis modi aſcendentis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis aſcendentis verſatur, eſt ſilentij myſtici quieta fruitio.

Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, a & quieſcit. ac ſi diceret, ô pia anima, quam admirabilis, & grata nimis eſt illa hominum concordia; totus enim mundus diligenter à nobis viſitatus, altum ſilentium tenet, non quidem ex eo quod pauci homines in illo ſint, fortè bello, fame, & peſte ſublatis; ſed quod terra habitetur, & hominibus plena ſit. atque vnanimi conſenſu omnes quieſcunt, nemo clamat, diſcordias excitat nemo; ſed pace vniuerſali delectantur ſinguli. verùm quam longè felicior eſt illa animæ quies, in qua omnis terra inordinata affectione olim turbata, nunc autem pacatiſſima ſubiectione ſilet, ac inferiores vires ſuperioribus ſubiiciuntur integrè, rationiſque imperio; ſicut etiam inſtinctui Spiritus Sancti promptè, & hilariter obediunt: & hoc quidem non aliundè, quam ex abundanti amicitia Dei, omnes totius compoſiti humani potentias bene-afficiente, vîq; ad ipſum corpus, quod ſuo, ſibiſque proportionato modo, reficitur, gaudet, & oſſibus ſuis omnibus dicit, Do-

mine quis ſimilis tibi? ſicut ergò in ſupremo ſpiritus diuini pia anima fertur circa Deum vt excelſum, & ſuperexaltatum; in medio autem, vt circa magnum; ſic iam in hac infima regione, circa Eum verſatur vt paruum, & collecta, ac ſilenti ratione circumuolutiones myſticas operatur, perficitque, tam diu, quouſque ad abyſſorum infinitatem descendendo, diuinæque ſapientiæ latibula profundè ſcrutando; tandem à ſummo Transformationis modi aſcendentis, per medium ad infimum vſque pertranſeat. pro vt articulatè hic conſequenter explicabimus.

Obumbratio diuinæ fruitionis in homine inferiori viuaciſſima quiete poſſidetur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Pater Sancte, ego pro eis rogo, vt habeant gaudium meum b impletum in ſemetiſiſ. ac ſi diceret, ô pia anima, tanta eſt diuini amoris in ſe diligentem communicatio, vt ei non ſatisfiat, ſi per promiſſionem vitæ æternæ conſoletur, aut per eam, quæ vera eſt fides, aut quæ eſt obiecti, & tendentiæ in bonum à ſe diſtinctum, aut quod modo adſit, modo abſit; ſed vt in ſemetiſiſ gaudium diuinum habeant imple-

a Zach. 1. b Ioan 17,

impletum. sicut medicus non in alio sano, sed in semetipso propriam sanitatem habet, possidet, eamque contemplando perficit, de ea gaudento. imò ex eo potissimum gaudium (quod est perfecta boni proportionati consecutio) suam originem in pia anima trahit, quod consortio diuinæ naturæ vitaliter in intimo spiritus afficiente, sicut à propria vita, sensu, & respiratione sit induta; quin imò etiam impleta, quo scilicet ipsum corpus, cor, & caro eius exultent in Deo viuo. Vndè etiam felicissimum illud silentium, (de quo tanta existunt apud mysticos encomia) hoc loco non per modum actus transeuntis; sed permanentis ad exercitium actus, pacem, & concordiam præbens, tam validè inferioris hominis vires, ac totius hominis cõpositum penetrat, ordinat, suauiterque afficiendo disponit, vt felicissimam resurrectionem corporum præhibere videatur. cum enim summa illa, & quasi violenta in spiritu diuino, & proprio viuacitas remiserit, tum & ipse inferior homo sibi conformi fruitione afficitur, ad quam prius non poterat admitti: cum modus in spiritu diuino, aut proprio existendi fuerit nimis eleuatus, & cui inhabitat corpori improporcionatus. quod tamen non ita accipiendum est, ac si inferior homo in regione spiritus diuini, & spiritus proprii nil ex abundantia superiorum virium influxus susceperit, cum hoc vel maximè factum sit; sed, quod non tam familia-

riter, & vt in propria, & sibi proportionata, infimaque hac regione hoc ipsum contigerit.

Iam verò pro actus exercitio, obumbratio diuinæ fruitionis, quæ hic viuacissima quiete possidetur; vt præambulum, & vitalis bene in Deo afficiens dispositio deferenda est; dein libero, & soluto spiritu ad eum, qui his longè præstat, internus visus dirigendus erit, siue hic sursum, siue deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum inclinet, ac ibidem videndo paulatim similibus motuum, seu tendentiarum imagines, & notitias deserat, protinusque ad diuinum pulchrum videndum conuertat, spiritualiter illustret, amoris autem præstantia mentis actiones transcendens diuino bono indicibiliter iungatur; interea sic continuò descendendo, vt tamen ab eo quem diligit anima non separetur, pro vt hic consequenter ostendimus.

Plena fruitione continuò descendit, quousque sicut spiritum diuinum; ita & spiritum proprium supra se in alto videat.

ARTICVLVS TERTIVS.

OMnem a creaturam, quæ in caelo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedeni in throno, & Agno, benedictio, & honor, & glo-

Gloria, & potestas in secula seculorum. ac si diceret, ô pia anima, quam completa est illa latititia, & Dei perfecta laus, in qua vnanimi consensu, omnia quæ sunt, Deum benedicunt; non tantum ista, quæ ex natura sua perfectiora, elevata, & in cælo sunt; sed etiam media, quæ scilicet super terram sunt; imò etiam infima, quæ nimirum sub terra sunt: quin imò etiam illa, quæ in mari sunt, & infatigabili commotione agitantur. ita, vt aspectus ille mentis, ad euagationem pronus, & molestia, quæ ex distractionibus oriri, & tanquam in mari tumultuoso animales appetitus inquietare solet, adhuc in plena quieta, silentio, ac fruitione persistant; licet spiritus diuini, & spiritus proprii regionem iam supra se deseruerit, & ad illa, quæ sub terra, & inferioris sunt situs indies magis descendat. quo ita nimirum discat, Diuinitatis extensionem vbique, & à quacunque re (pro cuiusque conditione) honorem, & gloriam exigere, solemque suum oriri facere super omnes interioritatis modos, quibus omnibus mobilibus mobilior sapientia, sapida illa fruitione se communicare voluerit; æquè amicè, ac familiariter in infimis, ac in medijs, quam summis. plena ergò illa conformitas interioritatis, ad inferiorem hunc descensum hoc præstat; vt & hic diuina maiestas adsit, bonitatisque suæ vitales bene-afficientias distribuat; non

obstante eo quod regiones tam spiritus diuini, quam spiritus proprii, supra se disparuisse agnoscat.

Ad actus exercitium autem quod attinet, ipsa conformitas, & consensus in descensum, seu profundioris mentis situm, extensionemque, & quidquid simul vitalis in Deo bene efficientiæ possederit; hoc ipsum totum, & simul, vt præambulum, & imperfectum quid deserat; dein, vt poterit, amica, ad Eum, qui his longè præstat tendentia, secundum adæquatum visum, & motum, id est, vt non plus amet, quam intelligat, nec plus intelligat, quam amet; mentale exercitium instituat, & silentiosa admodum, ac subtili vita in Deo viuat, alatur, eorum quæ circa se sunt oblita. & hæc quanta industria, & ad interiores vicissitudines conformitate fieri debeant, consequenter dicemus.

Remittente lumine Transformationis, descensus in profundo habitationem constituit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vid lucidius a sole, & ipse deficiet.
 Q ac si diceret, ô pia anima, licet quis vixerit multis annis, & in his omnibus delectatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis; quodque omnia

a *Eccl. 17.*

omnia sub cœlo suis concludantur spatijs, ac naturalis inconstantia iura obseruent, idque ad ipsius solis vsq; splendorem, qui in tempore suo deficiet; quamuis ipso lucidius nihil sit in tota mundi machina. & pari quidem modo circa tua interiora fieri debere obserues velim; licet enim dum in summa spiritus diuini, & media spiritus proprii regione non posses credere vnquam futurum eiusmodi, quem ab aliquo tempore, & nunc maximè sentis, super splendentis diuinæ illustrationis defectum; hoc ipsum tamen præsens remissio, & inferior in quo habitas, viuis, & operaris, mentalis situs, satis in praxi euincit; ita vt sub collecta ratione, & eo modo, quo Deus paruus esse dicitur, humili, & intra teipsam absconditè, ceu in centro, & puncto in infinitum diuisibili; te ei coniungere habeas, cuius circumferentia nusquam, & centrum vbique est. & certè vt hoc ipsum experiaris, quod scilicet diuina circumferentia sit nusquam, cum iam eius extensio, (siuè secundum altitudinem, siuè sublimitatem, seu excedentem magnitudinem accipiatur) disparuerit, centrum autem eius sit vbique; hoc nusquam melius, & ad viuum perfectius experiri licebit; quam hoc loco, quando lumen Transformationis, ex continuo descensu remississe, diutina experientia repertum fuerit; ita vt in præsentiarum habitationem tuam, in ipso profundo constituere debeas: in quo etiam quantò intimius visum, circumferentiam, & quidquid in sanctis

a Psal. 44.

imaginibus (quæ diuinæ essentia quasi particulæ quædam resulant) inuenitur, depresseris; tantò pacatiori silentio in centro spiritus tui, punctum infinitum, & indiuisibile diuinitatis, vitali gustu, benignè suscipies.

Quod ergò remittente lumine Transformationis, ex continuo descensu in profundo habitationem tuam constituas, & circa Deum sub collecta ratione procedas, & prout Paruus consideratur, hoc ipsum totum sit tantum præambulum, imperfecta operatio, proxima tamen dispositio ad exercitium actus. pro quo (postquam hæc omnia deserueris) silentiosè, & spiritali visu, illum qui his omnibus longè præstat, intuearis, eiusque pulchrum videndo, & bonum amando; vt potes, intimè oportet constringas, & constringendo renoues, foueas, ac fruaris, idque sub collecto Nunc, & Paruo, ad minima quæque: pro vt constabit ex sequentibus,

Obumbratione fruitionis silentiosè in abisso interioritatis paulatim disparente, spiritus admiratio subsequitur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Abyssus a abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Ac si diceret, ô pia anima, sicut ille, qui in profundissimam vallem descendere habet, cum aliquo tempore ad inferiora deuenierit; ille quidem si supra se aspiciat, se ad profunda descendisse videbit: at si ad inferiora oculos dirigat, abyssum aliam

li

sibi

sibi substratam animaduertet, nec profundum finem, aut fundum reperiet; nisi post varios descensus tandē iter suum absoluat, non sine tristi, & timida suffuratione, ex voce cataractarum, aquarumque defluentium, & perstreptentium, contracta, ita prorsus tibi eneniat oportet, priusquam à summo cœlo egressio tua vsque ad inferiora terræ, & obumbrationis, diuinæque; fruitionis disparentiam deueniat. hinc etiam silentiosè, & penè inaduertenter indies magis, magisque se elongat interior benè ordinata harmonia superiorum, & inferiorum potentiarum, tanquam non amplius, ea quæ prius, diuinæ fruitionis obumbratione contutata; qua tamen hucusque ex abundantia à superioribus in inferiores vires influxu, veluti in cucumerario, ab æstu inordinatarum passionum protegebatur; vnde etiam muscitare incipit humanæ naturæ miseria, nuditasque, nec non admirabunda subcogitare, quid de hac tam vacua interioritate tandem futurarum sit.

Quapropter ad exercitium actus, loco præambuli, & operationis imperfectæ, sint hæc omnia; scilicet quod obumbratio diuinæ fruitionis indies magis deficiat; quod inordinatæ passiones quodammodo sentiantur, aut saltem pia anima vicinè ad cor, vnde exire possunt cogitationes malæ, deducatur; quodque inferior homo, quid tandem futurum sit, admiretur; hæc inquam & similia stent loco suo in pace bona: de in collecto visu, silentiosè admodum,

a *Vt habetur art. seq. b* *Proh. 20,*

Spiritualis oculus ad eum dirigatur, cuius centrum vbiq̄ue est, circumferentia autem nusquam, ibique aspiciendo diuinum Pulchrum, & Bonum, eo etiam fruatur, & renouando tam visum, quam indè productum amorem, fruitionem continuet; ac etiam toto successu, habere, sentire, & viuere benè contenta persistat, etiam si (interea quod abyssus abyssum inuocando) indies ad inferiora tam profundè descendat, vt in exercitio actus non plus de Deo sensibiliter afficiatur, quam sit ipsa simplex de Deo cogitatio, hoc ipsum namque spiritualis amoris profectus, secundum suam perfectionis lineam consideratus omninò expetere *a* videtur, vnde licet hic continuò procedatur medio nō eleuato; sed collecto, paruo, & tandem in minimo quodammodo puncto; in re tamen, & pro vt ipsa vnionis coniunctio, in spiritu post omnium similium desertionem contingit, tam perfectè operationes mysticæ formantur, vt aliter fieri nec possint, nec debeant ordinario cursu, (etiam domini sapientiæ supernaturalis) spectato, quam verò perfecto, & tamen lento progressu hæc contingant, priusquam modus Transformationis descendens mutetur, iam consequenter dicemus,

De spirituali profectu, duratione & transitu ad statum Transformationis modi ascendens.

ARTICVLVS SEXTVS.

L *Vcerna Domini b* *spiraculum hominis, qua inuestigat omnia secreta ventris.* Ac

Ac si diceret, ô pia anima, supereminens illa Dei charitas, quæ tanquam lucerna altissimi, super caput tuum splendè ardebat, & cœlica illa sanitate afficiebat; ita ut te Deus custodiret, spiritu suo te obumbrans, quousque deficere videreris, terre non sustinens præ nimis ad visionem patriæ propè accedentibus delicijs, (quæ ex consortio diuinæ naturæ profluere solebant, ea, qua hucusq; toto statu Transformationis modi descendenti ostensum est, ordinata variatione) hæc, inquam, charitas secundum spiritualem profectum, tam altam in te radicem fixit, ut sit quodammodo sicut proprium tuum spiraculum, & halitus; sine quo non potes vivere, quique ex imis visceribus tuis emittitur, & vsque ad cordis intima latibula penetrat, nec quidquam etiam minutissimum præterit, quoad usq; ex toto quidquid ex modo descendenti Transformationis, etiam vel modicè afficit, ex integro consumat. linea enim maioris radicationis in charitate, sicut ad minutissima, (tanquam ad quædam diuinæ bonitatis vestigia) sese extendit: ita & spiritualis profectus augmentum in maximè infimis docet inuenire, fovere, & gaudere in eo, qui ita in se summus, omnibusque alijs longè, & in infinitum præstantior est, ut simul etiam cum simplicibus sit sermocinatio eius; ac in minimis, vel per vnicam stillam

magnitudinis eius, tota spiritus nostri capacitas, plenariè satiatur.

Iam verò priusquam vnus talis integer à summis per media, ad infima vsque descensus, per intermedias regiones, vbi, ac situs mentales, innumerabilesque operationes, seu verba mystica finiatur; & vnum quodammodo verbum affirmatiuum, quo Deum omnia supereminenter esse quibusdam minutis loquutionibus continuò dicebat, perfectè absoluat: faciliè octo, decem, vel plures annos effluxisse mirabitur ille, qui tam in se, quam in alijs, diutina experientia perspicax factus, pretiosum à vili separare didicerit: attamen si quæ pia anima nullis publicis occupationibus impedita, libero, & soluto spiritu, ac supereffluenti amoris magnitudine mysticæ exercitationi vacare possit, faciliùs quoque ac citiùs vnum talem descensum absoluet.

His igitur peractis, ita ut amplius fruitionis, obumbrationisue diuinæ super sit nihil, & naturæ pondus reuixerit; vitalis autem illa bene-afficientia, quæ ceterum sanitas propria in seipsa, & ut connaturalis præexistebat, constanter, & perseveranti duratione defecerit, ac etiam fragilitatis humanæ blandimenta, & inferioris hominis iura iterum subire debeat: ad ea quæ in statu Transformationis modi ascendenti hic consequenter dicuntur, transeundum est.

P R A X I S
 S T A T V S T R A N S F O R M A T I O N I S
 M O D I A S C E N D E N T I S
 P E R D O N V M S A P I E N T I A E
 S V P E R N A T V R A L I S.

E T P R I M O
 D E I I S Q V Æ F I V N T I N I N F I M O.

P A R A P H R A S I S D E C I M A T E R T I A.

Nemo ascendit in cælum, a nisi qui descendit de cælo. Ac si diceret. sicut affirmatio prior est negatione, (quod enim penitus non est, de eo etiam nihil negari potest) ita etiam oportet, ut priusquam mysticus per ascensum, seu transcendentem negationem, ab infimis, & medijs ad supremas vsque regiones eleuetur, in supereminenti charitate continuò magis radicandus: ita inquam, oportet, ut prius in excellentissimo Diuinæ naturæ consortio per affirmationem descensus fructiui, à summis, & medijs ad infimas vsque regiones, descendat: & huius quidem descensus praxis cum iam tradita sit; hoc loco de Transformatione modi ascendenti, seu pro ut supereminenti, subtiliori, & perfectiori modo (quam fuerit affirmatio Transformationis descendenti) per aliquot annos omnia negando procedit, consequenter dicendum est. &

- I. Breuis deductio eorum quæ sunt in praxi toto statu Transformationis modi ascendenti durante.
- II. Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis modi ascendenti versatur, est auditus mystici attentio.

a Ioan 3.

III. Mysticos

- III. *Myfticus in infimo profundi redigitur ad obfcuram vacuitatem.*
 IV. *In hac vacuitate non tam pungens foletas, quam remiffio operationis inuenitur.*
 V. *Paulatim reafsumuntur operationes fed admodum tenuiter.*
 VI. *In progreflu à remiffione operationis erigitur, per viuacitatem de nouo redeuntem.*
 VII. *In fummo infimi eleuatur ad regionem proprij fpiritus intuemdam.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Breuis deductio eorum qua funt in Praxi toto ftatu Transformationis modi afcendentis durante.

IN manibus abscondit lucem, a & præcipit ei vt rursus adueniat. ac si diceret, ô pia anima, quando ordinata fruitione à supremis, & ampliffimis fpiritus regionibus, per medias sphæras, seu circulares motus, dimensionefue, ad infimas declinaueris; tum fuprema illa lumina fpiritus diuini tam contracta, modica, & parua videbuntur, vt in paruo, & quasi puncto quodam, quidquid in te repertum fuerit, concludere poffe videaris. quod quidem licet veriffimum fit, & realiffima praxi contingat; fimul tamen etiam sciendum est, iftiusmodi concludam (vt ita dicam) paruitatem sub nunc collecto, æterni, & infiniti rationem non ita perdere: quin fimul etiam vera, realique totalitate, operationes fpiritus peragi poffint. ficut ad oculum videre licet in sole, qui in radijs, & lumine per totum vniuerfum diffuso, ingentiffimus, in propria autem sphæra, minimus, &

propemodum intra manus abscondibilis apparet. Et ideò myfticus in infimo ftatus Transformationis modi afcendentis, lumen confortij diuinæ naturæ, quasi in globo abscondito, sphæra parua, & sub nunc collecto quidem; fed absque b pofituo tædio, aut fpiritus prefura participat; in progrefsu autem, & afcensu fpiritus proprij, in media fcilicet regione, vbi, vel fitu mentali, rursus præcipitur vt adueniat, longè splendidioribus radijs, quam in regione inferiori: in fummo autem fpiritus diuini, quasi in virtute fua ampliffimè lucet, ad clariffimam diem æternitatis prælibandum. & horum fimilia videre est in igne materiali, qui licet vnus idemque fit, aliter tamen ardet in carbone, & clariùs lucet in flamma, subtiliusque splendet in propria sphæra.

Et quia tam in infima, quam media, ac fuprema regione afcensus transformationis, frequens relapsus fit ad foletatem proprij fpiritus, licet absque moleftia: hinc pro actus exercitio, si nulla præexiftat vitalis bene-afficientia, ad verba præambuli, & imperfectas operationes, ad perfectas tamen difponentes, perficientes & continuantes re-

currendum est, vti dictum fuit supra *a* si verò ignis diuini amoris actualiter suauiolentia succensus fuerit, ipso instanti exercitium vnitui amoris inchoandum erit, vt etiam dictum est supra. *b* in sequentibus verò intermediis, seu magis notabiles regiones, vbi, situs mentales articulatè declarabimus.

Propria operatio quamdiu in infimo Transformationis modi ascendenti versatur, est auditus mystici attentio.

ARTICVLVS SECVDVS.

Auditus auris audiuit te. ac si diceret, ô pia anima, ex ordine sapientiæ diuinæ omnia suauius disponenti factum est, vt obumbratio fructiva ex consortio diuinæ naturæ præexistens, & pro vt Deus est terminus à quo, scilicet absque tua cooperatione vitalis bene-afficientia profluebat; ad ultimam sui communicationem peruenerit. iam verò alius modus, scilicet pro vt Deus eiusque familiare consortium est terminus ad Quem, scilicet vota, amorisque conatus sese extendunt, assumendus est. in cuius quidem initio, & infimo, cum adhuc omnia sint nuda, & vacua; ita vt modica sit vitalitas internarum operationum, bonum est, & cum primis necessarium, vt auditu auris Deum audias, vtque non tam explicita operatione procedas, quam tacita, vigilantique auditione in secretis.

simo spiritus obserues, quid, & quantum Deo placeat, de se suaque amicitia conferre: vnde etiam non tam actiue, quam passiuè interior cooperatio, & conformitas institui debet, & audiri quid in te loquatur Dominus.

Interea verò dum in infima regione circa diuinum Bonum, & Pulchrum, circumuolutiones operationum peraguntur, singulari diligentia memorandum est; inferiores, seu sensibiles vires ordinariè modicum participare, deijs, quæ in spiritu fiunt; tam enim subtili transcendenti Deus, qui spiritus est, hic adoratur, vt in totum hominis compositum, modicum quid influere possit: nec tamen idè tædium sollicitatis ex hac carentia diuina in sensuali homine subsequitur, aut actibus resignationis patientiam excitare debet; sed omnia clarè dijudicans aliud non petit, nec desiderat, quam vt omnia sint conformia veritati. atque hinc maxima reformatio, ex peccato originali corrupti hominis apparet: is enim per infinitos propemodum antecedentes actus mortificationis, virtutis, & fruitionis consortij diuinæ naturæ in tantum depuratus est, vt nil molestè ferat, quod rectè fieri agnoscitur; extraordinariè tamen, & cum in actus exercitio per amoris excessus à statu suo dimotus fuerit, ex eiusmodi amoris abundantia à superioribus viribus in inferiores fiet ordinariè suauissimus influxus; ita vt totum hominis compositum, sicut in statu Transformationis descen-

a Paraphr. 6. b Paraph. 9. c Iob. 42.

descendentis, admodum iucundè perfundatur. pro ordinario interea exercitio actus, procedendum erit, ut dictum est supra. ^a quantæ porrò perfectionis sit Deo actualiter vniri, & frui; quando omnis interea viuacitas, altum silentium tenet, ex sequentium praxi manifestum erit,

Mysticus in infimo profundi redigitur ad obscuram vacuitatem.

ARTICVLVS TERTIVS.

AD nihilum ^b redactus sum. & nesciui, ac si diceret, ô pia anima, quid iam tandem post tot vicissitudines, & continuos vsque ad profunda abyssi tuæ interioritatis descensus, in te metipsa cogitas? præsertim si pacatissimam illam habitationem centram, quæ in infima regione tanta bonitate afficiebat, consideres. an non verè, & in toto tuo interno esse, habere, & viuere dicis, ad nihilum redacta sum? quam etiam nihilitatem longè amplius agnosces, si ea quæ in proprio statu pulchritudo florebat, & quam maximè, si illam (scilicet eleuatissimam Transformationem quæ in spiritu persistebat) considerare volueris; in præsentiarum autem omnia euauisse, & sicut umbra cum declinat, ablata esse videas? quapropter obserues velim, quod non tantum dicatur ad nihilum redactus sum; sed quod etiam addatur, & nesciui; ac si diceret, talem

tamque admirandam mystici negotij vicissitudinem, ac status ordinatam disparentiam, vera, ac reali mutatione in praxi contingere nesciui, dum in superioribus regionibus spiritus diuini, & spiritus proprii, earumque summo, ac amplissimo situ, tanquam in cœlorum supremo habitarem: videbar enim à tam felicissimo summo nunquam descensura. iam verò longa experientia disco, verum esse quod à Domino dicitur, si nimirum exaltatus fueris, ut aquila; & si in cœlo posueris nidum tuum, indè detraham te. idque tam modicè, & inaduertenter, ut ipsamet nescires te indies magis descendere, omnesque amplitudines in circumferentia, & toto hominis composito disparere: hoc tamen nihilum ad quod redigeris, non ita accipiendum est, ac si nihil agere, aut operari possis, debeasue; sed hoc duntaxat ex decrementijs iam dictis colligendum est; quod continua spiritus perfectio in eo consistat, ut quantò minus de supremis statibus, regionibus, sitibus, motibus, & actionibus percipi potest; tantò sit subtilior conformitas, & industria sese accommodandi, ad operationes in Nunc instanti, necessaria. sicuti etiam perfectioris oculi actus est, cum modico lumine minutissima quæque; quam sole splendente, vastissimas alpium moles videre.

Et ideò pro actus exercitio, obscura illa in hoc profundo vacuitas non nisi inferioris hominis sensus, & tanquam opera-

^a Paraph. 6. ^b Psal 72. ^c Abdia. 4.

operationis internæ præambulum reputari debet; ita ut transgressa hac grossitie, & subtus latentes spiritus aspectus, dein silentiosè admodum auris interna ad eum, qui non supra, vel extra; sed intus vicinissimè adstat, dirigatur, quo ita pura specie intellectu informato, dilectionis intensio, & fruitio sub collecta quidem circumferentia; at centro æternitatis vndique illimitato, beneque affecto conseruetur: ita tamen, ut nondum de viuaci aliqua perceptione in inferiori homine notabile quid percipi possit, ut hic habetur consequenter,

In hac vacuitate non tam pungens soleitas, quam remissio operationis inuenitur.

ARTICVLVS QVARTVS.

OMnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; quia spiritus Domini sufflauit in eo: verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum & cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in æternum. ac si diceret, ô pia anima, in verbum nostræ fruitionis verè insufflat Dominus, quando in nobilissima sapientia, & sapida experientia, paulatim à summis per media ad infima quæque deducit, & diuinæ obumbrationis, ac amicissimæ suæ familiaritatis consortium à pulchritudinis suæ fragrantia subtrahit; quo ita de nouo, & longè perfe-

ctiori experientia difeat, quia verè omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: dum non in eodem statu permanet semper, multoquæ minus in summo adepto, quocunque modo tandem hoc *b* summum accipiat, sicut ergò fœnum potius flaccescit, quam ut spinis pungat; sic pia anima in hac totius sui compositi vacuitate potius remissionem operationum, quam tædiosam soleitatem experitur; cum enim abundantia vitalis in Deo afficientiæ non ampliùs in spiritu ita abundet, ut in vires inferiores, & totum compositum effluere possit, necessariò subsequitur in inferiori homine vacuitas, & non affici: quoad usq; in exercitio actus, vitalis consortij diuinæ naturæ augmentum iterum ex abundantia in vires inferiores diffundi possit. interea verò ad omnium virtutum perfectius exercitium, ac meritum, quæ infirmitatis, & tentationis humanæ sunt experitur: ad quæ quidem præstanda minus utilis esset mysticus, si semper ex abundantia superiores vires in inferiores fluerent, & quodammodò in obumbratione diuina, à miseria huius vitæ eximerent.

Remissio ergò operationis, & quidquid in circumferentia totius compositi vacuitatis, aut humanæ infirmitatis sentitur, ut præambulum & imperfecta dispositio, æquo animo ferenda est; dein ad exercitium actus spiritualis tendentia ad eum, qui omni interioritati silentiosè intimior est, incli-

a Isa. 40. b Inf. decis. 1. a. 8. & 10.

inclinanda erit post omnem sensibilitatem, tedium, & quidquid circa divinam carentiam obijci solet, vt Deus qui spiritus est, purè in intimo spiritus adorandus maneat; idque tam diu, quoadusque conformis aliqua species, seu diuini Pulchri, & Boni similitudo elici, & consequenter internum exercitium institui, ac foueri possit per mille laudes, & reuerentias. & quidem in hac accurata, & subtili distinctione in exercitio actus, si pia anima negligenter agat, mirum videri non debet, si crassa, & tædiosa fiat totius inferioris hominis capacitas: facillè enim inferior machina, quidquid in spiritu subtile est, & spiritualiter Deo vniri possit, ad se suaque pondera trahet, si quod purum est, ab impuro non separetur, & cum in infima hac regione, continuè hæc & similia contingant, semel pro semper hoc loco monere volumus; supremæ vnionis exercitium, non in vitali bene-afficientia consortij diuinæ naturæ contingere in inferiori homine; sed nudè, & in abscondito spiritus, tota machina, & quidquid spiritus subtilitati minus est, tanquam tertio quodam in luto suo relicto; in tantum, vt si vel ipsa nuda de Deo vt summo bono, cogitatio, nullo positiuo tædio afficiatur, ipso instanti, quo de Deo in spiritu cogitat, exercitium quoque arcani amoris incipiat: licet aliæ potentia, vires, & totum hominis compositum suis ponderibus, tenebris, & veris grauetur tædijs. quam

verò subtili operatione, hic procedendum sit, constabit ex sequentibus.

Paulatim reassumuntur operationes, sed admodum tenuiter.

ARTICVLVS QVINTVS.

Verba a sapientium audiuntur in silentio. ac si diceret, ô pia anima, quamdiu interna dispositio in inferiori regione versatur, ab omni viuacitate, quæ in circumferentiam, & vires tum superiores, tum inferiores diffluere possit, separata, tamdiu etiam ad verbum absconditum oportet se accommodare, & silenti attentione obseruare, quid loquatur Dominus Deus in interiori nouo, & eminentiori modo. cum enim hæc verba sapientissima, maximeque spiritualia in ipsius spiritus centro, & collecto fundo proferantur, oportet vtique, vt maxima abstractione auditus interior obseruet primum illum, & nouo modo aduentem cælestem rorem, spiritus intima quæque humectantem. Vt ergò verba sapientissima audiantur in silentio expetere conformi ad Hic, & Nunc operatione, maximè cauendum est, actuose nimis cooperari, ex intimè auditis volendo in circumferentiam seu inferiores vires bene-afficientiam diffluere: eousque enim nondum operationis efficacia sese extendit; & idèò moderata, & tenui cooperatione, magisque attendendo attrahat pia anima,

K k quam

quam extendendo agat, ne si plusquam ipsa realis efficientia permittit, exprimere conetur; ab adæquato actu intellectus, & dilectionis recedat: tum enim necessarid tædium, & inquietudo spiritus subsequeretur.

Et hæc quidem omnia vt præambulum, dispositio, & medium ab omnibus non tantum sese abstrahendi; sed etiam conformiter ad Hic, & Nunc operandi, primo assumenda, paulatim verò deferenda sunt, & pro exercitio actus, pura, intimè que latens attentio ad eum, qui omnibus longè intimior residet, dirigenda est; quo ita species conformis ad operationes purè incipientias, dein fouendas, perficiendasque eliciatur. quod autem de nouo ex centro aliqualis influentia fiat ad vires inferiores, hic consequenter dicemus;

In progressu à remissione operationis erigitur, per viuacitatem de nouo redeuntem.

ARTICVLVS SEXTVS.

Illuxerunt a coruscationes tua orbi terra, vidit, & commota est terra. ac si diceret, ô pia anima, statim atque diuini amoris radij tanquam scintillantes stellæ, vel tremulis, & nondum vitaliter persistentibus motibus, infimæ huic regioni illuxerunt; hoc ipsum eodem instanti quo animaduersum fuit, etiam terram inferioris hominis in sua

circumferentia per nouam viuacitatem redeuntem commouit, à remissione ad operandum liberauit, & impotterum ad operationes vitales, seu verba mystica bene-efficientia de nouo formanda disposuit. interea verò dum hoc loco renouatur *b* in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum: maxima industria caueat, ne plus operari velit, suaque interiora ad ampliora spatia, & circumferentias extendere, quam ipsa realis operatio, & vitaliter bene-efficientia permittit: ne inadæquato modo procedens plus intelligat, quam diligit, & inæquali bilance, leuiter hinc attolatur; illic verò ad tædia, & obscuritates deprimitur. vndè etiam annotandum est, dispositionem ad operandum hoc loco tam subtilem esse, sicut est pluma, quæ ad minimum motum in altum eleuatur, ac etiam facilè ad ima descendit: ita vt in sua eleuatione, aut depressione, magno labore opus non sit; ex quo etiam sequitur operationes purè spirituales adhuc valdè subtiles esse, & nondum nisi ab animo defœcato, & summè in interiori suo aduigilanti, perfectè exerceri.

Iam verò pro actus exercitio, quidquid vitalis vitæ, aut in subtili, & ad superiora aspicienti visu consequi potest, totum hoc vt præambulum, & dispositio duntaxat transcendendum; dein oculus spiritus ad eum qui omnibus præstantior est, dirigendus erit, quo ita similitudinem primi pulchri, & opti-

a Psal. 76, b Col. 3.

& optimi exprimat, degustet, digerat, foueat, renouetque. in h'is porrò quam intimis operationibus vri nouus ascensus crescat, ex sequentibus constabit;

In summo infimi eleuatur ad regionem proprii spiritus intuendam.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Svstollam te super a altitudines terræ, ac diceret, ô pia anima, postquam diuinæ naturæ consortium nouas radices fixerit, & quotidiana perseueranti- que experientia didiceris, te in nouum hominem vitali bene-afficientia excreuisse, eamque ad spiritus regionem supra te conscendere, tum relicta inferiore regione, in qua sub collecto quidem, sed illimitato, & libero fundo, circumuolutiones, & operationes peragere cõsueueras, eleuare secure super altitudines terræ, & tanquã in summo infimi constituta, ad spiritus amplitudines

pro virili te extende, ac inferiorem hominem vt fieri poterit, simul alleuia, & simul quodammodò ad subtiliores extensiones erige: secundum illa quæ in media *b* regione contingunt, teipsum exercendo.

Interea verò quidquid pulchri, subtile, & supra extensum inueneris, iuxta illam variationem, quæ indies aliter, atque aliter se habet; totum hoc pro præambulo, & proxima dispositi one ad purè operandum, accipiendum est; dein pro exercitio actus, spiritus intelligentia ad Deum qui tam hæc, quam omnia alia longè excedit, dirigenda est. sic enim ilicò species, seu similitudo ad fruitionem instituendam, renouandam & fouendam elicitur, depuratur, ac super splendentibus diuinis communionibus irradiata, benignè clarescit: pro vt amplius ex sequentibus constabit.

(* *)
* *

a Isa. 8. b Paraph. 14.

ET SECUNDO
DE IIS QUÆ FIUNT IN MEDIO
TRANSFORMATIONIS MODI
ASCENDENTIS.

PARAPHRASIS DECIMAQUARTA.

IN thesauris sapientiæ a intellectu ac si diceret. dum in infimo status Transformationis modi ascendentis, sapientiæ ad usum, & vitalem efficientiam excoleretur, sicut thesaurus absconditus latebat in spiritu: qui quasi sub se curvatus, ad superiores amplitudines, situsq; mentales sese erigere non poterat: iam verò inuento intellectu in sapientiâ, modis atque actionibus sibi proportionatis spiritus non amplius sub se procedit; sed tanquam ignis prius in carbone modicum, nunc ut in flamma multum luminis acquirit, in eoque vivit, & degit. quod uti fiat, in sequentibus dicendum est. &

- I. Quod propria operatio quamdiu in medio Transformationis modi ascendenti versatur sit visus mystici actiuitas.
- II. In regione proprii spiritus eleuatur, ac dilatatur mysticus.
- III. Cum luminosa viuacitate ascendit continuo.
- IV. Sub se in profundo mysticus videt regionem inferioris hominis, ac spiritus proprii in alto, spiritus diuini autem supra se.
- V. In summo proprii spiritus attingit regionem spiritus diuini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in medio Transformationis modi ascendenti versatur sit visus mystici actiuitas.

Quifecit celos b in intellectu. ac si diceret. ô pia anima, cum obiectum intellectus mystici sit scientia sapida,

seu donum supernaturalis sapientiæ in ordine ad exercitium supereminentiæ charitatis Dei; poteris toto hoc tempore, quo circa spheram proprii spiritus ascendendo versaris, ordinatam ad diuinas illustrationes deductionem videre, & clarissimè aspicere, uti diuina miseratione factum sit, celos in intellectu esse, ipsamque potentiam intel-

a Ecclesi. a. b Psal. 133.

ellectus per donum sapientiae eou- que eleuari, vt tandem ad sublimem regionem spiritus diuini pertingat. Ea- propter relicta illa centrali, seu fundi interioritate, quæ in Nunc collecto, & sub parui ac intimi ratione pro- cecebat; ad superiores amplitudines, extensiones, latitudines, ac visus te- ipsam extendas oportet. illa enim quæ in spiritu proprio ad spiritum Diui- num adstat amplissima viuacitas ef- ficat, vt tanquam vmbra, & imagi- nes cœlestium, eiusmodi quoque ma- gnitudines in inferioribus potentijs, & imaginatione resultent: moderatè tamen hoc ipsum contingit, & mi- nus quidem in initio, quam in me- dio, & magis in fine, seu summo pro- prijs spiritus, quam in eius medio. vbi etiam ceu ex regula generali obseruan- dum est, propter subtiliorem indies spi- ritus visum, seu diuini luminis, & bo- nitatis communionem frequenter fie- ri relapsum ad inferiores vires; in qui- bus licet non reperiat positium tæ- dium, aut carentia diuina; attamen quidquid in toto homine inferiori, seu ipso suo spiritu minori regione inue- nitur, tam grossum, rude, & durum videri, vt sine auersione ad similia decidere nequeat. vnde etiam quan- tò citius ab eiusmodi inæqualitate se- se auerterit, & ad puras spiritus vi- siones conuerterit; tantò etiam ex- peditius ad operationes spiritui pro- prias admitti poterit. quæ vt in pra- xi per notabiliores operationes eue-

niant, articulatiùs consequenter dice- mus;

*In regione proprijs spiritus eleuatur,
ac dilatatur mysticus.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

*Sapientia a foris prædicat, in plateis dat
Vocem suam.* Ac si diceret, ô pia ani- ma, non amplius in hominis inferiori situ, & quasi in temetipsa vti hucus- que fieri solebat, Diuinæ sapientiæ lo- cum dare debes: nam sapida illa sci- entia, & fruitionis locus, foris, & ad extendentem dilationem prædicat, lo- quutionibusque suis allicit, & in pla- teis; ac spatijs amplioribus vocem suam dat, atque ad spiritualia eleua- re te gestit. sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans: cupit enim suæ naturæ participes, ad subtiliorem motum quam in paruo nidulo fundi exer- cere soleat, inducere; significans spi- ritus proprijs alas, & pennas exere- uisse, ac tantum virium acquisuisse, vt pondus inferioris hominis ad su- periora leuare possit. Quia verò vo- litando super eos inuitat, adhuc non fidit pullorum alis ex toto, ne fortè viribus destituantur; sed solum in- uitat, modum, & locum volatui a- ptum ostendendo. quia nimirum li- cet hoc loco in regione proprijs spi- ritus eleuetur, & dilatetur; maior ta- men est eius spiritualis visus, quam

Kk 3 con-

constans, & adæquatæ bene-afficientiæ vitalitas. intellectus enim pro primo in hac eleuatione magis sese extendit, intuetur, & nouos mentales situs, spatiaque perlustrat suprâ se, à longè quidem inibi Pulchrum & Bonum cognoscens in alto: nondum tamen ex toto vt suum ibidem possidens. & idè dum ex superioribus ad se, suaque inferiora recidit, hoc ipsum non ægrè, sed benignè ferat; sciens spirituale lumen adhuc non tam altas radices fixisse, vt adæquatè, & tam spiritualiter ipsam machinam inferiorem eleuare possit, sicut internum suum visum. cum ergo adhuc sit bilancis inæqualitas, inferioritate substantante; quoties ad illam ex spiritus regione deciderit, toties illam superno lumine collustrat, depurat, alleuiatque: donec tandem & ipsa inferior machina ex abundantia virium superiorum perfusa, spirituali quadam subtilitate superioribus sitibus coadstet.

Quidquid ergò in spiritus eleuatione, dilatatione, aut decidentia conspexerit, totum hoc pro præambulo, & dispositione ad purè operandum, & situm mentalem tantum congruè formandum transgrediatur pro primo, dein pro secundo subtili eleuatione ad eum qui longè superius est, animum dirigat; quo ita exindè adeptæ specie, exercitium actus per operationes intellectus, & voluntatis, consortij diuinæ naturæ fruitio instituat, foueaturque. vt porrò continuum ho-

a Sap. 7.

rum fiat incrementum, ex sequentibus constabit.

*Cum luminosa viuacitate ascendit
continuo.*

ARTICVLVS TERTIVS.

IN sapientia est spiritus a intelligentia, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis. Ac si diceret, ô pia anima, licet Deus in semetipso sanctus, & vnicus sit, in nobis tamen per spiritum intelligentiæ, & diuini consortij sapidissima familiaritate, est multiplex, ac subtilis, multiplex quidem, quantum ad diuisiones varias operationum; vnde hoc loco luminosa illa viuacitas, qua continuo ad superiora ascenditur, quasi vox multitudinis; maxima actiuitate in spiritu proprio loquutiones suas diffundit: ita vt ipsæ operationes, seu verba mystica ex sese quasi profluant, facillimèque proferantur, ac admirabili prorsus varietate modo sursum, modo deorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum, antrorsum, vel retrorsum circumuolutiones suas iucundè admodum peragant. Subtilis autem, quia continuo profectu maioris radicationis in charitate, spiritum proprium incessanter ad spiritum diuinum subtili, ac substantijs separatis conformi intelligentia, allicit.

Pro exercitio actus itaque, hæc omnia, & quidquid in spiritu agilitatis, Pulchri, Boni, ascensus, & subtilioris semper aspectus inuenitur, habetur,

etur, ac possidetur; totum hoc ut imperfectum quid, & præambulum, ut peraccommoda tamen dispositio, accipiendum est; dein admodum subtili, & pro ut fieri poterit, substantijs separatis conformi intelligentia, ille qui omnibus præstat, & altior est, intuendus erit: quo ita per conuenientem speciem aut similitudinem excitatam, dein fecunditate intellectus, & voluntatis consortij diuinæ naturæ exercitium purè instituatur, continueatur, ac foueatur. interea verò dum hæc fiunt, quam altè ad superiora indies eleuetur, consequenter dicendum est.

Sub se in profundo mysticus videt regionem inferioris hominis, ac spiritus proprii in alto spiritus Diuini autem supra se.

ARTICVLVS QVARTVS.

Cum vix paruam stillam a sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Ac si diceret, o pia anima, luminosa illa spiritus proprii viuacitas, qua continuò ad altiora eleuaris, hoc præstat, ut inferior regio, in qua prius versabaris, & vix paruam stillam sermonis eius audiebas, & modica ad operandum actiuitate potiebaris; iam tandem ad infimos situs, & sphaeras protusa videatur: illa enim nec tonitruum magnitudinis eius, nec subtilem actiuitatem spiritus sustinere poterat. iam

a Iob 26. b Proverb. 4.

verò cum animalibus illis cælestibus quæ plena erant oculis intus, & foris ante, & retro, & ad videnda quælibet maximè capacia; per instantaneas operationes, seu verba mystica, hoc loco ad formationem, & pronuntiationem peraccommoda eleuare, ac vbiunque inueneris impetum spiritus, illuc gradiare; & regioni spiritus diuini quam supra te animaduertis, approxima, cumque permissum fuerit ingredi, ac inhabita.

Interea verò quidquid Deo minus est, ipsam scilicet proprii spiritus eleuatam regionem, ac operationis facilitatem, qua instar aquilæ quocunque volueris circumuolitas, & tanquam plena oculis intus, & foris omnia clarè intueris; ut præambulum, & dispositionem duntaxat accipe, & transgredere: ac ei, qui his omnibus altiùs eminet, spirituali admodum intelligentia coniungere, adhære, & ut potes, profunda Dei scrutare, eius pulchritudine, & bonitate inebriata; quo ita tandem amoris præstantia ad suauem mentis excessum dimouearis. quomodo autem ad summa penetres, constabit ex sequentibus.

In summo proprii spiritus attingit regionem spiritus Diuini.

ARTICVLVS QVINTVS.

Istorum semita quasi lux splendens procedit, & b crescit vsque ad perfectum diem

diem. Ac si diceret, ô pia anima, illorum viuendi ratio qui non in incertum currunt, nec sic pugnant, quasi aëcem verberantes per remissiores, & sensuales viuendi modos; sed iustorum more per arctam viam, & angustam portam benè ordinati, ac virtuosè compositi hominis intrare contendunt ad vitam, diuinæque naturæ suauissimum consortium; illorum, inquam, semita qua simul in absconditis Domini consiliantur, & angelicis penè modis in cœlis conuersionem suam constituunt; quasi lux splendet pro primo, & quam diu in regione seu sphaera inferioris hominis nouo & adhuc occulto modo, ceu in Nunc æterno, collectè, nec vsquequaque diffusè, Diuinæ lucis radios *a* percipiunt. Verùm dum hic in medio ascensu, ac regione proprii spiritus degunt, eiusmodi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem: in eo quod luminosa eleuatione, con-

tinuè se suzque omnia transcendendo infatigabili viuacitate spiritui diuino appropinquant. hoc autem tum reali persistencia contingit, quando in summo proprii spiritus, ac in iam diu trita media regione, alia longè diuinior, ac sublimior regio superesse animaduertitur; sicut perfecta dies à crepusculo, & aurora in claritate differens. actum quidem ad altiora transeundum erit, pro vt in *b* sequentibus habetur.

Interea verò hæc omnia pro dispositione duntaxat, & præambulo accipienda sunt, & deferenda; dein præactus exercitio spiritu non tantum ab omnibus libero, & soluto; sed etiam ex his præambulis in subtilem visum deducto, ille qui his omnibus præstat, cogitandus erit, vt absque inferiorum impedimento, spiritus congrua specie imbutus, actualement vnionem, & consortium diuinæ naturæ instituat, continuet, nutriatque.

a Sup. paraph. 13. *b* Paraph. 15.

ET TERTIO

DE IIS QUÆ FIUNT IN SUMMO
TRANSFORMATIONIS MODI
ASCENDENTIS.

PARAPHRASIS DECIMA QUINTA.

Spiritu intelligentiæ a replebit illum Dominus, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. ac si diceret, quando spiritus mystici in media regione status Transformationis modi ascendentis, spiritu intelligentiæ repletus fuerit; tum in eius summo, & supra se, in pura scilicet spiritus diuini regione, sapidissimæ afficientiæ eloquia, operationes, seu verba mystica Pater cœlestium luminum immittet largifluè, & quibusdam imbribus cœlestibus totam eius capacitate irrigabit; longè eminentiori modo, & diuiniore communionem, quam in præcedentibus regionibus factum sit. quod ut fiat, in sequentibus dicendum est, &

- I. Quod propria operatio quamdiu in summo Transformationis modi ascendentis versatur, sit suspensionis mystica transcendentia.
- II. Reali amplitudine spiritui diuino immergitur.
- III. Incessanter eleuatur mysticus, videns regionem proprii spiritus subius se.
- IV. In summo tamdiu deliciatur, quousque subtilissimam vacuitatem incurrat.
- V. Eiusmodi vacuitas de nouo instantanea viuacitate doni sapientiæ adimpletur ad statum Transformationis modi descendentis, in charitate magis radicandum.
- VI. De spiritali profectu, duratione, & transitu, ad statum Transformationis modi descendentis.

LI

VII. In

a Eccl. 39.

VII. In vicissitudine status Transformationis, tam descendens, quam ascendens modi, sicut mysticus contiunò magis, ac magis in charitate radicatur: ita etiam distinctiori, ac accuratiori ordine, in minutissimis etiam operationibus, sese conformiter habere addiscit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propria operatio quamdiu in summo Transformationis modi ascendens versatur, sit suspensionis mystica transcendentia.

Spiritus a omnia scrutatur, etiam profunda Dei. ac si diceret, ô pia anima, ille qui per continuas mentis actiones, & summi Boni suauissimas contemplationes Deo adhæret, & vnus cum eo spiritus efficitur, ille etiam per donum sapientiæ, supereminens charitatis Dei arcana scrutatur, intelligentiæ suæ puritate tanquam in absconditis Dei consiliatur, & quodammodo etiam profunda Dei apprehendens in illis suspenditur, tanquam pius, & humilis scrutator diuinæ Maiestatis suppressus à gloria. ex conditione ergò, spiritus (quem Deus non dat ad mensuram) profluit; vt dum mysticus in summo Transformationis modi ascendens versatur; quantò amplius diuino lumine illustratur, tantò subtiliùs, & angelicis modis conformiùs, in dilectione viuat, quantòque puriùs diligit, tantò etiam clarioribus splendoribus irradietur; infatigabili, imò prorsus delectabili actiuitate consortio diuinæ naturæ sese viciniùs immergens, infe-

riorum nihil, aut modicum memor; nisi ad quæ boni publici ratio, vel conditionis humanæ necessitas detraxerit; vel in quantum obumbrationes diuinæ, quæque ex abundantia superiorum virium inferioribus iucundè influxerant, subindè disparuerint: licet absque molestia positiui tædij, & carentiæ amicitia Dei, ac sola remissione abintenso influxu in interiora interueniat, & hoc ipsum quidem non ægrè ferente inferiori homine. quæ omnia magis articulatè constabunt ex sequentibus;

Realit amplitudine spiritui Diuino immergitur.

ARTICVLVS SECYNDVS.

Deus Israel b mihi locutus est, fortis Israel; sicut lux aurora oriente c sole, mane absque nubibus rutilat. ac si diceret, ô pia anima, ex eo solum quod ipsam spiritus Diuini regionem ingrederis, eius nimia pulchritudine transformata; quasi cum altissimum laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, exultare potes: vicinissima enim diuini numinis intimitas, lumine, & ardore solis cœlestis, te ad instar lucis auroræ quæ absque nubibus rutilat, clarificare videtur. ita vt quasi vno eodemque respiraculo vitæ fias in spiritum contiuentem supra te, in lon-

a 1. Cor. 14. b 2. Reg. 23. c 2. Reg. 23.

gè eminentiores, & diuiniore spiritus extensiones, quam fuerint in proprio spiritu. Vndè etiam hoc loco opus non est aliò ire ad hauriendam aquam; sed de ventre, ac intimo mentis tuæ flumina fluent aquæ viuæ, absque nubibus, aut imaginibus, speciebus præambulis, seu inferioribus varijs umbris, figuris, visionibus, vocibus, aut sonis vestitis: ita vt lucem quasi angelicæ cognitionis in pura intelligentia, supersplendentes diuinæ amicitia radiis facillimè suscipias; & absque mora operationes conformes, & verba mystica pronuntiare, eorumque ordinatam successione, & fruitionem, planè iucundè & purissimè continuare valeas.

Et idè quidquid luminis, ac splendoris diuini perceperis, quantumcunque illud altum, & ad instar auroræ absque nubibus rutilans fuerit, pro præambulo duntaxat accipiendum est; ita vt hæc omnia pulchra, & valdè bona sint immediata dispositio, per quam ad puræ intelligentiæ supersplendentes in spiritu perceptiones exercitium actualis vnionis instituat; dum post omnium horum desertionem, mentis actiones ad eum, qui in infinitum hæc excedit, diriguntur, amorisque digestio quædam suaui instituitur, continuatur, ac fouetur: idque indies magis ac magis, vt hic consequenter dicemus;

*Incessanter eleuatur mysticus videns regionem proprii spiritus sub-
tus se.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Omnibus mobilibus a mobilior est sapientia. ac si diceret, ô pia anima, propter operationes quæ in vsu, & amicitia diuinæ sapientiæ in instati suauiter, faciliterque formantur, experiri potes, quomodo diuina sapientia in sui communiōe omnibus mobilibus mobilior sit. vtque in Nunc instanti de illa aliquid ita dicatur, vt ilicò de nouo præstantius dici possit, & debeat. sicut etiã Pater cœlestis in Nunc æterno, quasi de nouo omni instanti verbum suum (quod est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius) pronuntiat. atque hinc colligere licet in nullo summo vnquam tenaciter hærendum; sed ad omnem in Nunc instanti mutationem conformiter operandum esse. hoc enim sapientiæ gustum quasi exprimere, & quasi digerere est, & minutis (vt ita dicam) operationibus, seu verbis mysticis in Nunc instanti conformiter moueri, si vbi impetus spiritus fuerit, depurata mens congregiatur: ne quod facillimè accidit per remissam, & tepidam à diuinis cooperationibus inhaesionem, ab actione boni quiescere, & in aliquod otium prolabi contingat. hinc etiam strenui Dei coadiutores, in ipsa spiritus diuini regione se suaque omnia charis-
mata,

mata, & quidquid donorum, gustus, beneque afficientia inuenerint, transcendunt; nec in vilo quiescunt quousque amoris pondere, vehementiaque de statu explicitè operandi, semoti, ac suspensi; diuinas inactiones optimo modo huius vitæ suscipiant. & certè tandem diuina sapientia quæ omnibus mobilibus mobilior est, præstante hoc efficitur; vt regio & operationes proprii spiritus longè subtrus stare videantur, tanquam ad præsentem, incessanter magis ascendentem eleuationem, nimis improportionata.

Quod ergo omnibus mobilibus mobilior sit sapientia, & viuax impetus spiritus trahat, quo voluerit, superplendentes diuinæ communionis radios diffundens, etiam nouo semper, ac hucusque incognito modo, non quiescere sinens; sed ad Deo viciniores amicitias propellens: totum hoc, & quidquid Deo minus senseris, vt præambulū, & dispositio erit deferendum: dein ad eum qui his longè altior est, puræ mentis intelligentia conuertenda est, ad actualem fruitionem incipiendam, continuandam, ac renouandam. quamdiu porrò in hisce magis magisque eleuetur consequenter dicemus;

In summo tamdiu deliciatur quousque subtilissimam vacuitatem incurrat.

a Psal. 138.

ARTICVLVS QVARTVS.

Mirabilis facta est scientia tua ex me, a confortata est, & non poterò ad eam. ac si diceret, ô pia anima, infinitus thesaurus est in supereminenti diuinæ naturæ præstantia. vnde quantum amplius diligentes se bene-affecerit, tantò maiorem illis admirationem, & profundio rem reuerentiam excitat; vt dein securo humilitate illius sublimitatem penetrantes, mirabilior præstantiorque fiat, & eousque confortata, & superexaltata appareat, vt ad illam profundius perferendam, intelligentiæ lumen pro tunc non possit eleuari. hoc enim loco pia anima præ scientiæ diuinæ magnitudine in admirationis stuporem, & præ amoris excellentia supra amoris expressas actiones perducta, quasi absque cognitione, & amore constituitur. cum autem in summo spiritus diuini ad vltimum vsque dono sapidissimæ scientiæ mirabilia Dei perlestrauit, tandem actiuitate operationum destituta, præ nimia spiritus subtilitate, silentiosissimam vacuitatem, & simplicissimam perceptionem incurrit; in eaque commoratur: quoadusque de nouo induatur ex alto; per donum sapientiæ, secundum statum Transformationis modi descendens, in charitate magis radicandum.

Interea verò pro actus exercitio quantumcunq; fiat sapidissima scientia Dei

Dei ex te, & supra te admirabilis; ita vt oppressa à gloria, maiestatem diuinam alijs scrutari non valeas; licet ipsius cœli empyrei felicitatem prælibare, & quidquid demum omnem linguam, & verba præ sui excellentia excedit, possidere videaris; hoc ipsum tamen totum sit præambulū duntaxat, & propria dispositio; vt dein tam reuerentiali, quam subtili spiritus tendentia, illi te inclines, qui tam incomprehensibiliter supra te confortatus, & superexaltatus est, vt ad eum non possis accedere. ex tali namque humili inclinatione ac reuerentia (præsertim quando fortissimæ illæ diuini spiritus inactiones constanter remiserint, & vacuitas quædam, seu remissio perceptionum, & operationum subsequuta fuerit) intellectus illic sibi proportionatum diuini Pulchri, & Boni speciem similitudinem vè eliciet, admodum subtili operatione, & ad actua-lem fruitionem consortij diuinæ naturæ deducet incipiendam, continuandam, ac renouandam. & hæc quidem tam diu euenire, quoadusque pia anima insignem progressum in charitate fecerit, & nouo, intensiori quæ gratiæ augmento à Deo dignata fuerit, consequenter dicemus,

*Eiusmodi Vacuitas de nouo instantanea
Vacuitate doni sapientiæ adimpletur ad
statum Transformationis modi de-
scendentis in charitate magis
radicandum.*

a Psalm. 18.

ARTICVLVS QVINTVS.

A summo a cœlo egressio eius, & oc-
cursus eius usq; ad summum eius.
ac si diceret, ô pia anima, non sine pro-
fundissima reuerentia admirare diuinæ
puritatis zelum; quo ita naturæ suę con-
sortia largitur, vt simul etiam quidquid
in spiritu dissimilitudinis, & imperfe-
ctionis est, continuò expurget: sicuti
qui palmitem purgat, vt fructum plus
adferat. & idè cum dono sapientiæ
integrum ascensum, diuersas regiones,
situs mentales, per operationes, seu in-
numerabilia verba mystica, profunda
Dei scrutando absolueris: tandem in
superficialem, & simplicissimam vacui-
tatem, totam interioritatem tuam red-
actam inuenies. quo ita de nouo dono
sapientiæ ad descensum fructuum, & in
charitate magis perfectiusque radican-
dum à Deo digneris. hoc autem prius-
quam fiat, euacuatione spiritali, &
subtilitate separatis intelligentijs, seu
Angelis conformi, vt dispositione præ-
ambula, ac prærequisita superindui de-
bes. & hoc sensu dicitur, à summo cœ-
lo egressio eius. ac si diceret: cum in
summo status Transformationis mo-
di ascendentis charitatis bene-afficien-
tiam finiendo digesseris, & sic te dese-
rendo, quodammodo egressa fueris:
tum denique noua quædam fames, ad
nouam satietatem, & susceptionem in-
tensio-rem doni sapientiæ subsequetur.

Ll 3

hinc

hinc etiam sicut à summo cœlo egressio eius constituitur (dum modus eminentis transcendentia, & perfectæ negationis cessat) sic quoq; occurfus eius, seu doni sapientia noua adimpletione occurrit in summo ipso; ita vt deinceps eius particeps sis non quærendo; sed possidendo, & sub obumbratione consortij diuinæ naturæ, & termino à Quo viuendo, in spiritu semper ali, & ad operationes fructu amoris necessarias facillè, & iucundè procedere, possis.

Interea verò dum hæc fiunt, hanc à summo cœlo egressionem, & in summo status tui vacuitatem non vt casu accedentem, aut profectui spiritali contrariam; sed vt diuinitus ordinatam depurationem, præambulum, & perfectam dispositionem suscipe; dein pro actus exercitio, vt potes maximè spiritaliter, & subtilissima intelligentia vigilantia præstolare salutare Dei, & tanquam diaphanum ad solis lucidissimos radios suscipiendos, in hoc non habere spiritali, simplicissimoq; intuitu, diuini Numinis præstantiam superexalta: quoadusq; nouus Lucifer matutinus, ignem sapidissimum sui luminis in apice spiritus accendat: qui etiam toto statu Transformationis modi descendens inextinctè, & absque tædiola diuinæ carentia interruptione in altari spiritus ardebit, & diuini amoris flammam in Patrem luminum (à quo bona cuncta procedunt) exhalabit,

ad maiorem semper in charitate radicacionem promouendam. Vt autem constet quæ circa perfectionem arcani amoris considerentur, consequenter dicimus

De spiritali profectu, duratione, & transitu, ad statum Transformationis modi descendens.

ARTICVLVS SEXTVS.

O Altitudo diuiciarum a sapientia Dei, quam inuestigabiles sunt via eius. ac si diceret: ò pia anima, continuo maior radicio in amore diuino per infatigabiles, & inobseruabiles multiplicationes singulorum actuum, tam altas in sapientia, seu sapida scientia Dei, radices fixit; vt sicut nemo altitudinem sapientia Dei perfectè scrutari potest: ita etiam inuestigabiles sunt via eius, quæ ad spiritualem progressum perducunt. vt vel idè admodum difficile sit mensuram profectus spiritalis explicare; præ nimia eiusdem perfectione. hinc etiam si accuratiùs, & strictè de illo loquendum esset, breuiter responderi posset, ipsi mystico hanc perfectionem ignotam esse: verumtamen si sese ad ascensum Transformationis reflexerit, prout scilicet ab infimis, per medias usq; ad supremas mentis regiones, ascendendo, sapius interea ad interruptiones fructu dilapsus fuit; in præsentiarum autem per insignem

gnem vitalem renouationem charitatis, Deum semper, vt primum principium suæ dilectionis eminenter esse recogitauerit. Sole claritùs etiam videbit, quantò modò quam aliàs viciniùs, altius, & perfectius in Deo uiuat, respiret, habitetque secundum spiritum. secundum inferiorem autem hominem, seu totum hominis compositum, quam conformiter ad statum innocentiae vires inferiores, sensibiles, quin etiam cor, & caro eius, iudicio, imperioque rationis, & instinctui Spiritus sancti obediant; tentationes & mala huius vitæ potiùs dijudicent, quam licet miserimum exilium mundi (qui totus in maligno positus est) molestè ferant.

Ad hanc autem spiritus, & carnis perfectionem priusquam pia anima ordinato progressu pertingat, facilè decem, vel duodecim anni, aut etiam quatuordecim labentur. in vnico namque substantiali descensu, vel ascensu status Transformationis, tres sunt principales regiones: quarum etiam singulæ in tres, pro vt scilicet singulæ incipiunt, proficiunt & absoluuntur, inter se subdiuiduntur; quo ita per mentis circumuolutiones, & innumerabiles pro Hic, & Nunc operationes ordinatè spiritus diuina quæque pulchra conspiciat, & ipsum bonum penitiùs digerendo sibi inescare valeat. & licet nil ita certi de duratione assignari possit, cum vnus citiùs altero ob varia accidentia, officia, & diuinitùs immis-

as actiones, ab infimis per media ad summa pertingat: attamen quoties post insignem in charitate factum progressum, tam in ascendente, quam descendente Transformationis modo, à Deo spiritum rectum innouatum in visceribus suis expertus fuerit: toties etiam ampliozem durationem inueniet; ita vt si descensus durasset ad decem annos, ascensus subsequens duraturus sit numerosioribus annis.

Transitus verò ad modum Transformationis descendens admodum facillimus est: ipso namque instanti, quo vacuitatem, quam in summo suo incurrerat, noua vitalitate repletam habuerit; Deum vt primum principium suæ dilectionis non tantum suscipiet, sed etiam ita possidebit, vt ipse mysticus non amplius sit primum agens, & operans; sed Deum semper habiturus sit vt præexistens vitale spiraculum sui in Deo esse, viuere, & operari; idque toto descensu Transformationis durante. Quod autem hæc perfectior Transformationis modi ascendens & descendens vicissitudo, secundum spiritualem profectum, durationem, & transitum, (quamdiu in hac vita peregrinamur à Domino) semper contingat, & mysticum perfectius in charitate radice, consequenter iam dicemus,

In

*In vicissitudine status Transformatio-
nis, tam descendens quam ascendens
modi, sicut mysticus continuo magis ac
magis in charitate radicatur: ita etiam
distinctiori, ac accuratiori ordine in mi-
nutionibus etiam operationibus, se-
se conformiter habere
addiscit.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

A *Pud Deum non est transmutatio,
nec vicissitudinis a obumbratio. ac
si diceret: o pia anima, noli frustra ex-
tollere vanis speciebus, & peregrinis cogi-
tationibus abduci; tanquam in huius
vitæ rota, & instabilissima volubilitate,
interioritatis tuæ, (cum in summo
adepto, etiam quasi in cælo nidum
ruum posuisse videberis) permanen-
tiam sis obtentura. hoc enim ad so-
lum Deum pertinet, apud quem, eo
quod in nunc æterno viuat, non est
transmutatio, nec vicissitudinis obum-
bratio; ita vt aliter hodie, aliter cras
in suis operationibus internis sese gere-
re debeat. nos autem cum in tempo-
rum momentis vitam nostram transi-
gamus, & ad ornatum militantis Eccle-
siæ in diuersos status, exercitia, & ope-
rationes à Deo disponamur; necessa-
riò in dispositionibus, & operationi-
bus nostris immutationes, & vicissitu-
dines patimur: ita vt etiam inter San-
ctos eius nemo sit immutabilis, dum*

2 Iacob. 1.

peregrinamur à Domino. sicut enim
oritur sol, & occidit, & ad locum suum
reuertitur, ibique nascens gyrat per me-
ridiem, & flectitur ad Aquilonem; lu-
strans vniuersa in circuitu, & in circulos
suos reuertitur. ita quoque post-
quam mysticus, per vnum ascensum in-
tegrè absolutum, per continuas nega-
tiones, & transcendentias Deum om-
nibus supereminenter præstare; innum-
merabilibus operationibus, seu verbis
mysticis satis dixerit, & insignem pro-
gressum in charitate fecerit: tum deni-
que per donum sapientiæ pia anima de
nouo renascens, per magis intimas, &
à Deo vicinas circumuolutiones gyrat;
& qualiter ipse superexcessiuè sit omnia
in omnibus; per descensum vsque ad
abyssi profundissima, & minimas particu-
las, seu vestigia suæ sapientiæ, prorsus
amorosis, & Deo dignis familiaritati-
bus, experitur.

Iam verò cum maior radicatio in
charitate non ad mensuram à Deo de-
tur, possitque quoad viuimus intensior,
& perfectior in spiritu augeri: hinc vel
maximè ad eiusmodi radicationis di-
uersos actus, intensiones, & quodam-
modo digestiones attendendum erit;
quo ita ad realem cooperationem et-
iam celerius, veriùs, purius sese accom-
modare possit. quin imò tota huma-
næ industriæ cooperatio in eo sita est,
vt ad momentaneas dispositiones pra-
cticus sese accommodet; vtque tam in
ascendente modo, eiusque infinitis
pro-

propemodum alterationibus sese ordinatè submittat, atque etiam in minutissimis quibusque operationibus sese conformiter habere addiscat. Dono namque sapientiæ incessanter efficitur, vt in operationum internarum ordinata vicissitudine iudicium educat quasi meridiem, & tanquam discretor spirituum plenè, atque perfectè, & protunc proprium statum, operationes, ac dispositiones suas discernat, ordinet, foueat, & ad optimū actus sui in Nunc instanti perducatur; vsque ad amoris, super omnem intellectum, excessum in quantum quidem doni sapientiæ vsus, & vitalis afficientia permiserit.

Cæterum cum non videatur solido fundamento niti, altiores modos, quam per donum sapientiæ ad maiorem radicationem in charitate, & perfectè Deo adhærendi assignare; (illis tamen exceptis qui præstantiori afflatu Spiritus sancti ad eminentiorem sanctorum a Viatorum statum, eo diuiniore perceptiones mentales eleuantur,) hinc etiam vltiori praxi deducendæ subsistimus. cum enim status Transformationis modi tam ascendenti, quam descendenti per donum sapientiæ ordinata vicissitudine sufficiat in hac vita; non tantum ad maiorem radicationem in charitate, ac perfectiores mysticas, Deoque semper viciniore operationes; sed etiam ex abundantiori superiorum virium in inferiores influxu; longè securiùs videtur, in ipsa reali fruitione,

& cum Deo vitali supræma vnione, illa experiri, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quam exoticis loquutionibus à sanctorum Patrum, ac non tantum in sacra Doctrina versatorum, sed simul etiam in arcaniori mystica exercitatione præstantium virorum scriptis deuiare. præsertim cū spiritualis homo deinceps per se (licet alioquin illiteratus sit) facile discernere, & longè purius quam scribi possit, omnia, etiam profunda Dei scrutari, & amoris præstantia possidere valeat.

His non obstantibus, si quispiam omninò asserendum censeat, aut quod magis ad rem fecerit; euidenter sanctorum Patrum, & præstantiorum mysticorum scriptis non aduersando demonstrauerit; supra dona intellectus, & sapientiæ, dari in mystico amore perfectissimo modos eminentiores: talis simul non obliuiscatur, nos similes etiam præstantiores modos supra b admisisse; videlicet per species infusas, præuias voluntatis commotiones, aut similes: sed tantum in actu transeunte, non autem immanente habitualiter, pro vt hic fit per donum sapientiæ. ita vt ordinariè in practico exercitio Transformationis, in instanti supernaturalis amoris fruitionem incipere, perficere, ac continuare valeat, intensiùs, vel remissiùs licet, pro vt ordo perfectus spiritualis permiserit. verum si istiusmodi quispiam institerit, etiam frequenter in

M m

acti-

a inf. decif. 9. b & paraph. 9. & infra decif. 5. & 6.

actibus transeuntibus, per species infusas, voluntatis prævias commotiones, aut similibus præstantioribus modis nonnullos in Deo altius sublimari: is pariter cogitet, nos tales ad Deo viciniorem statum; scilicet sanctorum Viatorum referre: in statu Transformationis autem de illis sublimioribus modis agere, qui habitualiter, & ordinariè per donum supernaturalis sapientiæ; extraordinariè autem per species infusas, prævias voluntatis commotiones, aut sublimioribus quibusdam modis,

mysticum in consortio diuinæ naturæ, & maiori charitate continuè profundius radicant. iam verò cum de praxi modi supernaturaliter operandi sufficienter dictum sit; ad ea quæ status sanctorum a Viatorum sunt, lectorem altiora petentem, remittimus: sicut etiam ad omnia alia, quæ in Theoria huius secundæ Partis continentur; quam hic consequenter, (præsertim ad satisfactionem mysto-scholasticorum, & diuino animo præstantium) apponimus.

a infra Decif. 9.

SECUNDÆ PARTIS
P R A X I S
F I N I S.

